



2672

DISSERTATIO MORALIS  
POSTERIOR

De

CÆDE PROPRIA,

*Quam*

ASSISTENTE DIVINI NUMINIS GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO atque EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATIUS BRANDENB.

HÆRFEDÆ &c. &c. &c.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN REGIA PRUSSIÆ UNIVERSITATE

*Publicæ Eruditorum ventilationi exponunt*

P R A E S E S

M. REINHOLDUS *Stürmer*

Regiom. Pruss.

&

R E S P O N D E N S

DANIEL NICOLAI,

Regiom. Pruss.

*Die 22. Julii Annō MDCCII.*

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

HORIS CONSVETIS.

*REGIOMONTI,*

Typis FRIDERICI REUSNERI, SAC.R.MAJ. & ACADEM.

Typograph. Hæredum.



VIRO  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO AC  
GENEROSSIIMO DOMINO,  
**DN. CHRISTIANO**  
**DE PANWITZ,**  
**SACRÆ REGIÆ MAJ.**  
**IN PRUSSIA**  
**SUPREMO VENATIONUM**  
**PER OMNES PROVINCIAS**  
**MAGISTRO,**  
**GUBERNATORI PRÆFECTU-**  
**RARUM POTSTAM ET**  
**SAARMUND,**  
**DOMINO IN KAHRÉN, SER-**  
**GEN ET GABLENTZ, &c. &c.**  
**DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.**

VIR ILLISTRIS AC  
GENEROSISSIME,  
DOMINE GRATIOSISSIME.

**A**ntiquum si dedicantium morem observare  
constituisse, vel in laudes ILLISTRIS  
TUÆ GENEROSITATIS stylus foret sol-  
vendus, vel causæ, quibus motus hos primos ju-  
veniles conatus TIBI dicare audeam, essent ex-  
ponendæ. Ast sicut alteri præstanto planè impa-  
rem me sentio, sic in altero operosum esse, super-  
vacaneum duco. Sanè illustres illæ, quæ magnâ co-  
piâ in TE conspiciuntur, dotes digniorem sibi de-  
poscunt Panegyristen, meam longè transcendunt  
facultatem, ut admirari quidem, non pro digni-  
tate eas deprædicare liceat. Causas verò hujus  
meæ inscriptionis anxie conquirere variasq; alle-  
gare opus non erit, dummodo audaciæ meæ ve-  
niam à TE impetravero. Cœterum TUAM  
ILLU-

ILLUSTREM GENEROSITATEM  
baud latebit, Musarum cultoribus innatum esse  
Viris Magnis ac Illustribus placendi & se com-  
mendandi desiderium. Hoc itaq; stimulatus, TE  
ILLUSTRIS AC GRATIOSIME DO-  
MINE, PATRONUM mibi exopto indi-  
gnus cliens, & quem Parenti meo hactenus singu-  
larem exhibuisti favorem, eundem ut in filium  
quog; derivare ac studia mea Tibi commendata  
habere baud dedigneris, votorum meorum com-  
pendium existit. Erit hujus favoris mibi certis-  
simum argumentum, si has primitias Academicas,  
quas ILLUSTRI NOMINI TUO eā, quā  
par est, submissione consecro, TIBI baud ingratas  
fuisse rescire licuerit. Quam gratiam, cum aliā ra-  
tione non valeam, calidissimis ad Deum pro TUA  
incolmitate suspiriis demererī allaborabo

## ILLUSTRIS TUÆ EXCELLENTIÆ

Servus humilissimus  
DANIEL NICOLAI.

## כעַנְ

§. I.

**Q**uod nos hōc locō cum quibusdam cādis propriā nomine appellamus, id à Grācis unō ἀντιχείρᾳ vocabulō denominari solet, quibus etiam cādis propriā autor ἀντιχείρη, ἀντιχείρᾳ, itemque ἀνθό-  
ρᾳ, ἀνθόφορῃ &c. vocatur, quemadmodum ex Lexico Sca-  
pulae col. 1722. & 1800. perspicere licet. Latini, quoniam  
unam, quā factū hoc exprimant, vocem non habent, vel  
generalibus mortis & homicidii vocabulis in eo denotando  
utuntur, vel etiam pluribus verbis illud circumscribunt.  
*Propriidii* enim & *Suicidii* voces, quas recentiorum quidam  
imprimis Moralistae usurpant, apud antiquiores & purioris  
Latinitatis Scriptores vix reperiuntur. ἀντιχείρᾳ verò à  
Justino lib. 4. c. V. & Plinio lib. 1. Epist. XXII. mors voluntaria  
nominatur, ἀντιχείρη à Seneca vocatur *homicida sui*, sive ut alii  
legunt, *homicida in sē*, in Excerptis Controv. l. 8. Controv. IV.  
Tom. III. Oper. p. m. 495. itemque *interemptor sui* Epist. LXX.  
Tom. II. p. m. 257. ἀντιχείρᾳ committere Senecæ & Plinio loc.  
cit. redditur manus sibi afferre, mortem sibi consicere, sponte  
exire è vita, Curtio dicitur occupare fati diem, lib. 8. c. IX. ab  
aliis aliæ circumlocutiones adhibentur. Nos talibus recen-  
sēndis haud immorantes ex dictis jam constare putamus, quid  
per cādem propriā à nobis hic intelligatur, nempe tale fa-  
ctū, quō quis propriō ausu atque arbitriō sibi mortem  
consciscit,

§. II.

Eiusmodi verò cādem propriā à quibusdam per-  
petratam esse, satis certos nos reddit historia, quæ haud paucos  
sui interemptores nobis ob oculos sistit, simulque varias aper-  
tit causas, quibus induci homines ad mortem voluntariam  
decurrerunt. Ex illa nimirum cognoscere licet, hos metu,

A

istos

2

istos vitæ tædiō, impatientiā & desperatione, illos amore, alios ambitione, alios aliis causis impulsos ad cædem propriam provolâsse. Ut modò dicta exemplis quibusdam illustremus, metu quidem paupertatis & famis venenô vitam finiebat Apicius insignis helluo, cum absumptâ per gulam magnâ pecuniae vi, rationibus demum inspeclis, adhuc festertium centies sibi superfuturum computavisset, referente Seneca *in Consol. ad Helv. c. X. Tom I. Oper. p. m. 188.* Ita quoque Plutarchus refert, quibusdam paupertatem tantum malum visum esse, ut ejus evitanda gratia de saxis in mare se præcipitandos existimarent. *lib. de virtute morali Tom. II. Moral. p. m. 404.* Cheræmon apud Martialem mortem optabat, quod sibi res angusta domi esset. *lib. XI. Epigr. 57.* Metus suppliciorum ad vitam sibi eripiendam compulit Appium Claudium, qui ob stuprum filia Virginii intentatum congeclus erat in carcerem, teste Livio *lib. 3. c. LVIH.* Sic Epicharis ad cruciatus, quos jam semel sustinuerat, jussu Neronis retracta, ut eosdem effugeret, vinculô fasciæ pediori detracclô spiritum sibi præclusit, memorante Tacito *lib. 15. Annal. c. LVII.* cui simile exemplum adducit *lib. 4. Annal. c. XLV.* Exempla duo servorum, qui ad lundum bestiarium ducti, ut poenam effugerent, in via se interfecerunt, inveniuntur apud Senecam *Epiſt. LXX. p. m. 258. 259.* Nec eorum exiguis est numerus, qui ne in manus hostium venirent, vitâ se privârunt, inter quos præcipue nominandi Hannibal, qui ne à Prusia Romanis hostibus suis infensissimis traderetur, venenum haufit. *Livius l. 39 c. LI.* Cornelius Nepos *in vita Hannib. c. XII.* itemque Cato Uticensis, qui ne in potestatem Cæsaris veniret, gladiō se interemit. Plutarchus *in vita ejus Tom. II. vit. Parall. p. m. 639.* Florus *lib. 4. c. II.* Judæi Massadae castello munitissimo à Romanis obsesso i. clusi animadvententes, se hostibus fore impares, impulsore Fleasarô, ne hostium violentiam experiri cogerentur, mortem

tem sibi accelerarunt. Josephus lib. 7. de bello Jud. c. XXVIII.  
 Pari ratione quoq; quingentos Judæos Eboraci in Anglia aliquid seipso jugulasse, ne vivi in hostium manus incident, refert Hulsius Theol. Judaic. lib. 1. Part 2. p. m. 425. Inter eos, qui ex morbi impatientia vitam sibi abruperunt, reffendus Pomponius Atticus Ciceronis amicus, qui cum morbum nactus esset, inediâ vitam finiit, teste Cornelio Nepote in vita ejus c. 21. & 22. Idem svasu Stoici cuiusdam fecit Tullius Marcellinus, referente Seneca Epist. LXXVII. Corellius Rufus, de quo Plinius lib. 1. Epist. XII. Silius Italicus apud eundem lib. 3. Epist. VII. Ignominiae impatientia ad mortem voluntariam adegit Dioxiump, qui, cum se furti suspectum apud ministros Alexandri sensisset, coniectum oculorum, quibus ut fur destinabatur, ferre non potuit, sed ferrò se interemit. Curtius lib. 9. c. VII. Lucretia à Sexto Tarquinio per vim constuprata, cum injuriam suam in consilio necessariorum deplorasset, ferrò se, quod sub veste occultum habebat, interemit. Valerius Maximus lib. 6. c. I. n. 1. Livius lib. I. c. LVIII. Florus lib. I. c. VII. Puer quidam Laconicus jussus fungi servili & contumeliosò ministerio, quippe vas obscoenum afferre jubebatur, illisum patreti caput rupit, iuxta Senecam Epist. LXXVII, iuxta Plutarchum præcipitem se ab alto dedit, in Apophth. Lacon. Tom. I. Moral. p. m. 407. Amor propriam cædem svasit C. Plautio Numidæ & M. Plautio, qui ob obitum uxorum suarum stricto incubuerunt gladio. Valerius Max. lib. 4. c. VI. n. 2. & 3. Dido Virgiliana itidem amoris insaniâ ad manus violentas sibi inferendas compulsa. Vid. Virgilius lib. 4. Æneid. v. 661. Sic quoque Leucadis petra multis Spiritum elisit, qui præcipites in eam dati, remedium amoris in ea invenire se posse putabant, sicut ex Ptolemaeo Hephæstione memorat Scaliger lib. 2. leet. Auson. c. XVIII. Vita tedium & voluntariae mortis oppetendæ cupiditatem multis ingenerabat Hegefias Philosophus Cyrenaicus,

A 2

cum

cum vita hujus miserias exaggerasset. Cicero lib. 1. *Tusc. Quæst.* n. 83. Valerius Max. lib. 8. c. IX. n. 3. unde πυρίαν διέτενε  
victus apud Laertium lib. 2. *in vita Aristippi. Ambitione & im-*  
*mortalitatis studio ad mortem sibi conciscendam stimula-*  
*batur Empedocles, qui se in ardenti ætne specum intempeſtā*  
*nocte dejectus, ut cum repente non apparueret, abiisse ad Deos crede-*  
*retur. Laertius de falsa sapientia sive lib. 3. Drv. Instit. c. XVIII.*  
Vid. etiam Horatius lib. de arte Poëtica v. 465. Peregrinus Pro-  
teus Philosophus Cynicus immortalem sibi nominis famam hoc  
ipsò comparare nitebatur, dum in pyram exstructam adstante  
magnâ Græcorum frequentiâ semetipsum ultrò conjecit &  
corpus flammis tradidit, memorante Luciano *in vita Pere-*  
*grini. Denique superstitione quadam duci Circumcelliones*  
ē secta Donatistarum per mortes varias maximè præcipito-  
rum, aquarum & ignium seipso necare olim solebant, de qui-  
bus evolvendus Augustinus *de Hæres. ad Quodvult d. c. LXIX.*  
Et ejusmodi propriidarū exempla plura coacervari possent,  
siquidem fusiori opus foret probatione. Sed num Aristoteles,  
quoque inter homicidas sui referendus? Id quidem non-  
nulli statuunt. Eumolus quippe apud Laertium lib. 5. *in vita*  
*Aristotelis* refert, ipsum exhaustō cicutæ poculō decepsisse, cum  
accusationem impietatis pertimesceret; alii eum desperatione  
ductum in Euripum se præcipitasse volunt, quod causam ac-  
cessus & recessus ejus indagare non posset. Verum Apol-  
dorus apud Laertium l.c. itemque Dionysius Halicarn. & Cen-  
forinus eum morbō periisse testantur, quorum relationi ma-  
jorem fidem adhibendam censent Nunnefius *in notis ad vitam*  
*Aristotelis p. m. 89. & Zeidlerus in prefatione Apologetica pro Ari-*  
*stotele Introductioni ad lectionem Aristotelis præmissa.*

### §. III.

Sicut verò satis multi inventi sunt, qui mortem sibi con-  
sciscere haud dubitarunt, ita nec defuerunt, qui defensionem  
cædis

cædis propriae suscipientes, eandem honestam atque licitam esse affirmârunt. Inter hos nomen suū imprimis professi sunt Stoici, quorum decreta si perlustremus, inter ea & hoc deprehendimus, *Sapientis officium sapientia esse deservere à vita*, ut apud Ciceronem legitur lib. 3. de finibus bon. & mal. n. 61. aut prout Lipsius Stoicorum placitum declarat, *Sapientem sumere aliquando mortem posse, decere, debere*, sicut à convivio quis potest satur surgere & abire, itemque ludum, cum libet, relinquere. Vid. ejus Manud. ad Philos. Stoic. lib. 3. Differt. XXII. Constat nobis potest de Stoicorum sententia ex Diogene Laertio, qui ipsorum dogmata recensens, & sequens ipsis attribuit: ἐν λόγῳ τῷ Φιλοῖς ἔξαρται οὐαντὸν τῷ βίῳ τὸν σωφρόν. Dicunt (Stoici) rationabiliter sapientem se educeturum ē vita, vel pro patria & amicis, vel se in acerbis doloribus verisetur, vel in membrorum mutilatione & morbis agre curandis. lib. 7. in vita Zenonis, ubi Laertius simul causas adducit, ob quas fieri posse centebant Stoici, ut Sapiens ē vita excederet, quarum tamen plures ex ipsorum scriptis colligi possunt, quemadmodum ex Lipsio. l. c. patet. Satis enim causæ ipsis videbatur ad cædem propriam festinandi, si tale quid alicui accideret, ut aut honestè aut utiliter imposterum se vivere haud posse censeret, adeoq; si vel extrema paupertas, vel incurabilis morbus, vel decrepita senectus ingruerent, ex vita exsiliendum aut edificium corporis putridum atque ruens relinquendum putabant. Conf. Arrianus in Epicteto lib. 1. Differt. IX. p. m. 43. Seneca Epist. LVIII. p. m. 208. Hanc sententiam, qui non admittunt, Seneca dicuntur viam claudere ad libertatem. Invenies, inquit, professos Sapientiam, qui vim afferendam vite sua negant, & nefas judicent ipsam interemptorem sui fieri, expectandum esse exitum, quem natura decrevit. Hoc qui dicit, non videt, se libertatis viam claudere. H. I. Epist. LXX. p. m. 257. Mors enim voluntaria Stoicis erat via, iter, & janua ad libertatem. Hujus viae latitudinem alibi ex-

A 3

plica-

plicaturus Seneca ita scribit: *Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum? Illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illuc in imo sedet. Vides illam arborem brevem, retrorridam, infelicem? Pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? Effugia servitutis sunt. Namis mihi, inquietes, operosos exitus monstras, & multum animi ac roberis exigentes. Quaris igitur, quod sit ad libertatem iter? Qualibet in corpore tuo vena.* lib. 3. de ira c. X. Tom. I. Oper. p. m. 119. *Quod hōc locō iter ad libertatem, idem Epist. XXXVI p. m. 101. liberum ostium appellat.* De quali ostio etiam Epictetus apud Arrianum loquitur, cædem propriam persvasurus; *Quod autem caput est, inquit, memento, apertam esse januam, ne sis pueris timidior, sed ut illi, cum aliquā re non amplius delectantur, dicunt, non ultrā ludam,* sic tu, cum talia aliqua videbuntur, dic, non diutius ludam, & receive. lib. 1. Dissert. XXIV. p. m. 89. *Quod dictis comprobārunt, idem factis expresserunt præcipua Sectæ Stoicæ lumina Zeno & Cleanthes, quorum iste, cum è Schola veniens, offendisset, digitumque perfregisset, manu terram pulsans, illud Euripi-déum occinuit: Venio, quid me vocas; domumque regressus strangulans se interiit. Hic cum ex gingiva putrescente laborans syas Medicorum ad biduum cibō abstinuisset, quamquam ad cibum capiendum revocatus, abnuit & inedia obiit.* Vid. Diogenes Laertius in vitis Zenonis & Cleanthis. Conf. hic omnino Lipsius cit. *Manuduct. ad Phil. Stoic. lib. 3. Dissert. XXII.*

## §. IV.

Stoicis adjungere licet quosdam ex Indorum sapientibus, horridiores nempe & agrestiores, de quibus Curtius: *Unum agreste & horridum genus est, quos sapientes vocant, apud hos occupare fati diem pulchrum, & vivos se cremari jubent, quibus auctegnis etas, aut incommoda valetudo, expectatam mortem pro decoro vite habent, nec ullus corporibus, quæ senectus solvit, honos red-*

redditur, inquinari putant ignem, nisi qui spirantes recipit. lib. 8.  
 c. IX. n. 31. & 32. Idem de ipsis testatur Plinius, quod voluntaria  
 semper morte vitam accenso prius rogo finiant. lib. 6. Nat. Hist. c.  
 XIX. Id quod suò exemplò confirmavit Calanus, qui in con-  
 spectu Alexandri & exercitus Macedonum rogum conscen-  
 dit & seipsum cremavit, de quo præter Arrianum lib. VII. de  
 Expedi. Alexandri consuli possunt Ælianus lib. 5. Var. Histor. c.  
 VI. & Plutarchus in vita Alexandri Tom. II. Vit. Parall. p. m. 498.  
 Plato quanquam eos damnet, qui ex ignavia quadam animi  
 & timiditate manus sibi violentas inferunt, excipere tamen  
 eos videtur, qui vel civitatis decretò iussi, vel intolerabili aliquò  
 & inevitabili fortune casu adacti, vel ignominia pauperis & non  
 sustinende vita adducti, mortem sibi conciscunt. Vid. lib. 9. de legi-  
 bus p. m. 584. Diogenem Cynicum in eā hæsisse opinione, quod  
 cædes propria licita sit, non saltem exinde elucescit, quia ipse  
 ex quorundam relatione vitæ tædiò mortem spontaneam ele-  
 git, seipsum nempe suffocans, juxta Laertium lib. 6. in vita ejus,  
 sed etiam quia Speusippum ad ejusmodi vitæ exitum adegit:  
 Speusippus enim cum paralysi infestatus vehiculò ferretur in  
 Academiam, obvium habuit Diogenem, ad quem dixit: Sal-  
 ve Diogenes, ab hoc verò responsum tale accepit: At tu ne-  
 quaquam salve, qui talis cum sis, vivere sustines: Quò responsò  
 Speusippus adeò commotus est, ut paulò post morte volun-  
 taria decederet, memorare eodem Laertio lib. IV. in vita  
 Speusippi. Nec Plutarcho οὐ τοκεταί plane improbari, impri-  
 mis quæ ultimâ necessitate cogente committitur, ex his ejus  
 verbis colligi potest: Quod si inopinata aliqua & vehementior  
 procella occupet, in propinquuo est portus, licetque enatare è corpore  
 tanquam scapha aquam admittente. Inspicentem enim mortis me-  
 tus non vita desiderium jubet à corpore dependere. H. I. lib. de animi  
 tranquillitate Tom. II. Moral. p. m. 266. Plinium cædis propriæ  
 assertorem esse evincunt hæc ipsius verba: Hoc primum quisque

in remedii animi sui habeat, ex omnibus bonis, quae homini tribuit  
 natura, nullum melius esse tempestivam morte, in eaq; id optimum,  
 quod illam sibi quisque praestare poterit. lib. 28. N.H.c. I. Idem ter-  
 ram laudat, quod nostri misera venenum generit, cuius facil-  
 limo haustu illibato corpore, & cum toto sanguine extingueremur  
 nullo labore. lib. 2. N. H. c. LXIII. Præter Philosophos & illæ  
 gentes cædem propriam comprobâsse videntur, apud quas  
 consuetudine receptum fuit, ut absque infamiae macula mor-  
 tem spontaneam eligere liceret. Alex. ab Alexandro scribit,  
 quod apud varias gentes vim sibi afferre & necem sua sponte  
 confidere dignum laude & magni fuerit habitum. lib. 5. Genial.  
 Dier. c. XXVIII. Taprobanensium legibus olim cautum erat, ne  
 quis ultra centum annorum numerum viveret, sed eò exple-  
 tò sumptis quæ citra dolorem necant herbis indormiens vitâ  
 excederet, teste Diod. Siculo lib. 2. Biblioth. Hisf. c. LVII. Ita  
 quoq; Ælianu narrat, apud Ceos legem obtinuisse, ut senes ci-  
 cutâ haustâ vitam finirent. lib. 3. Var. Hisf. c. XXXVII. Conf. et-  
 iam Heraclides in Politis. Ed. Heinj. p. m. 987. De Massiliensibus  
 refert Val. Maximus, apud eos venenum cicutâ temperatum  
 publicè custoditum esse, quod datum fuerit ei, qui causas Sex-  
 centis (quod Senatus nomen erat) exhibuisset, propter quas  
 mors ipsi sit expetenda. lib. 2. c. VI. n. 7. Apud populos, quos  
 Plinius Hyperboreos vocat, senes epulati & luxu delibuti ex  
 quadam rupe in mare desiliebant, hoc genus sepulturæ beatissimum  
 existimantes lib. 4. Nat. Hisf. c. XII. p. m. 60. Herulorum  
 moribus consentaneum erat, ut senio & valetudine debiles  
 mortem sibi ultrò arcesserent, uxoribus quoque ad mariti sic  
 defuncti monumentum laqueo sese necantibus, teste Proco-  
 pio lib. 2. Hisf. Goth. Sic quoque de Indorum uxoribus refer-  
 tur, quod ex iis illa, quæ maritum maximè dilexisse videri  
 voluit, conjugis mortui flammis se superjecerit, & cum eo tan-  
 quā felicissima cremata sit. Vid. Valerius Maximus l. 2. c. VI. n. 14.

§. V.



Inter illos autem, qui cædem propriam licitam asserunt  
eamque commendant, plerique etiam eandem fortitudini ad-  
scribunt, & sui interfectores pro fortibus agnoscunt. Hinc sub-  
inde apud Poetas, Historicos, imò & Philosophos leges, for-  
tium titulum assignari talibus, qui vitam sibi eripuerunt. Ajax  
apud Sophoclem *generosi viri officium esse dicit*, *\*aut honestè  
vivere aut statim mori*. Et hic Ajax, postquam seipsum inter-  
fecerat, ab Ulyssè funus ejus spectante *fortis* appellatur. Vid.  
Sophocles in *Ajace flagellif.* Apud Senecam itidem Hercules  
seipsum comburens *fortis* salutatur, in *Hercule Octavo Act. V. v.*  
1613. imò apud eundem in *Agamemnone* dicitur:

*Qui vultus Acheronis atrum,  
Qui Styga tristem non tristis videt,  
Audetque vita ponere finem,  
Par ille Regi, par Superis erit.*

v. 600. scqq. Josephus juvenem quendam Romanum nomine Longum hoc ipsò se fortissimum demonstrasse scribit, quando gladiò semet ipsum occidit, ne in Judæorum manus incideret. Vid. lib. 7. de bell. Jud. c. VI. (al. l. 6. c. XIX.) p. m. 782. Egesippus lib. 5. de excid. Hierosol. c. XXXIX. Et quantis Valerius Maximus Catonem extollit encomiis ob mortem propriis manibus illatam: *Tui, inquit, clarissimi excessus, Cato, Utica monimentum est, in qua ex fortissimis vulneribus tuis plus gloria quam sanguinis manavit.* lib. 3. c. II. n. 14. Idem eod. cap. n. 13. Scipionem Pompeji socerum animi sui fortitudinem testatum esse dicit, cum navem, quâ vehebatur, ab hostibus captam animadvertisens, gladiò præcordia sua transverberasset. Similia plura tum in hoc capite tum alibi passim apud ipsum deprehendere licet. Inter Philosophos Seneca saepius fortis appellat homicidas sui. Catonis fanè vulnus ultimum, quod sibi inflixit fortissimum vocat, Epist. XCIV. p. m. 475. & Ep. CIV. p. m. 520.

B

dicit,

dicit, Catonem ostendisse, *virum fortē posse invitā fortunā vivere, invitā mori.* Idem laudat Stoicum quendam amicum suum tanquam *virum fortē ac strenuum*, qui Tullio Marcellino cædem propriam suavitatis his verbis: *Noli mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna deliberes. Non est res magna vivere, omnes servi tui vivunt, omnia animalia, magnum est, honestē mori, prudenter, fortiter.* Et hanc hujus Stoici cohortationem Seneca optimam censet Ep. LXXVII. p.m. 302. Conf. idem Epist. XXIV. p. 90. seq. Contrā *effeminatisimam* Seneca existimat *vocem illius Rhodii*, qui cum in caveam conjectus esset à Tyranno, & tanquam ferum aliquod animal aleretur, suadentis cuidam, ut abstineret cibo, respondit, *omnia homini, dum vivit, speranda esse.* Epist. LXX. p. 254. Conf. de hoc Rhodio Telesphoro nominato & à Lysimacho cavea inclusō idem Seneca l. 3. de ira c. XVII. p. 121. & Plutarchus lib. de exilio Tom. II. Moral. p.m. 529.

### §. VI.

Nos tamen nec exemplis nec autoritatibus haec tenus adductis moti omnem cædem propriam, qua privatō ausū & propriō suscipitur consiliō, ob quamcunque etiam fiat causam, illicitam assertimus. Quae nostra sententia, quod vetere sapientiam consensu non destituatur, tum ex postea dicendis patebit, tum ex sequentibus Lipsii verbis eluceat: *Ajo plerisque omnibus prisca & vera sapientie sententiam hanc (de avnx eis) admnatam.* lib. 3. Manud. ad Stoic. Phil. Dissert. XXIII. p. m. 159. Solos civiliores Indorum sapientes nunc exempli loco produxisse sufficiat, qui agrestibus cædis propriæ assertoribus contrariantur. Sic enim de iis Curtius: *Illi, qui in urbibus publicis moribus degunt, -- non quenquam admovere lethi diem credunt, cui exp̄itare interrito liceat.* lib. 8. c. IX. n. 33. Et de his, judice Freinshemiō, intelligendus quoque est Megasthenes, qui nullum Philosophis (Indorum) decretum esse de morte sibi conscientem.

*seiscenda affirmat, sed temerarios haberi, qui hoc in se admittant:*  
 apud Strabonem lib. 15. Ex gentium numero adducere hic  
 saltem placet Thebanos, apud quos, *qui mortem sibi consivit,*  
*nulla fuit laude dignus, quin potius id criminis dabatur & probro,*  
*eoz facinore pudendam inficiam & imperitiam coarguebat suam*  
*velut sui carnifex immanisq; natura fore;* loquente sic Alex. ab  
 Alex. l. 5. Genial. Dier. c. ult. Ne verò autoritate saltem niti  
 videamur, ad assertum nostrum rationibus confirmandum  
 accedimus. Et initio quidem in confessio positum est, quòd  
 homo ad se amandum obligetur. Talem enim sui amorem  
 in omnibus hominibus recte & secundum naturam se haben-  
 tibus deprehendimus. Hinc Euripides:

Tic δέ οὐκέτι γνωμός πόδε,

Οὐ πάς τις αὐτὸν τε πέλας μαθήσει.

Quis verò mortalium jam non novit hoc

Quod quisq; seipsum magis quam proximum amet?

in Medea. v. 85-86. Vol. I. Tragoed. p.m. 269. & Aristoteles ait:  
*Sibi quilibet maximè amicus est.* 9. Eth. c. VIII. §. 12, denique Mitio  
 apud Terentium:

Vah! quenquamne hominem in animum instituere aut

Parare, quod sit charius, quam ipse est sibi?

in Adelph. A&T. I Scen. I. Quippe ipsa natura homini hunc sui  
 amore implantavit. Non frustra secum ipse quisq; amicitiam ha-  
 bet, sed est hoc naturā insitum, inquit rursus Arist. l.2. Polit. c. II.  
 Cui assentitur Taurus Philosophus apud A. Gellium ita lo-  
 quens: *Natura omnium rerum, que nos genuit, induit nobis inole-  
 vitā in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri &*  
*charitatem, ita prorsus ut nihil quicquam esset charius pensusq;*  
*nobis, quam nosmetipsi.* lib. 12. Noct. Attic. c. V. p. m. 36. Et Se-  
 neca id ipsum fatetur, sic scribens: *Nemo in amorem sui co-  
 horrandus est, quem adeò dum nascitur, trahit.* lib. 4. de beneficiis  
 c. XVII. p. m. 716. Per hunc sui amorem verò impellitur

homo ad se conservandum, & ad vitam ac incolumitatem  
 suam expetendam, tuendam ac promovendam, contrā ejus-  
 dem amoris ductu abhorret à sui destructione & ab iis omni-  
 bus, quae interitum ipsi afferre possunt. Unde iterum Tau-  
 rrus apud Gellium amorem sui fundamentum ponit conser-  
 vandæ hominum perpetuitatis, ut unusquisq; nostrum simul-  
 ac in lucem editus, corporis sui commodis gaudeat, ab incom-  
 modis omnibus abhorreat; Aristoteles itidem *omnes homines*  
*vite cupiditate duci afferit lib. 9. Eth. c. IX. §. 35.* & Seneca, *Sui a-*  
*mor est, inquit, & permanendi conservandi se insita voluntas atq;*  
*aspernatio dissolutionis Epist. LXXXII. p. m. 335.* Hunc sui amo-  
 rem suique conservandi instinctum, & interitus aversatio-  
 nem quidam veterum Philosophorum inter *πρῶτην τῇ φύσιν*  
 five prima naturæ numerarunt, de quibus vid. Gellius l. c.  
 Cicero lib. 3. de finibus bon. & mal. Grotius lib. I. de J.B. &  
 P. c. II. §. I. n. 1. Nec saltem in homine sed etiam in coeteris  
 animantibus hoc naturale sui conservandi studium reperitur.  
*Simulatq; enim natum est animal, ipsum sibi conciliatur & com-*  
*mendatur ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea*  
*qua conservantia sunt ejus status, diligenda, alienatur autem ab*  
*interitu iisq; rebus, qua interitum videantur afferre, inquit Cato*  
 apud Ciceronem lib. 3. de finibus n. 16. quibus gemina ha-  
 bentur apud eundem Ciceronem lib. 1. Offic. n. II. ubi ait: *Ge-*  
*neri animantium omni est à natura tributum, ut se, vitam corpusq;*  
*tueatur, declinetq; ea, qua nocitura videantur, omniaq; qua sint ad*  
*vivendum necessaria, inquirat & paret.* Similia inveniuntur  
 apud Boëthium, qui dicit: *Omnē animal tueri salutem laborat,*  
*mortem verò perniciemq; devitat. lib. 3. de Consol. Philos. Prosa*  
 XI. p. m. 70. Conf. Cicero lib. 2. de finibus n. 33. Epictetus in  
 Enchiridio c. XXXVIII. & quae egregie in hanc rem differit  
 Cl. Rachelius Comment. in Ciceronis libb. Offic. p. m. 36.  
 Quanquam autem non solum homo sed & cœtera animalia à

na-

natura ad vitæ suæ conservationē impellantur, in homine tamen ad naturalem instinctum accedit rationis dictamen, quod ipsi amorem sui & inde ortum vitæ conservandæ studium injungit. Unde Puffendorffius: *Conservationem sui & tenerimus affectus & ratio homini commendat.* lib. 1. de offic. hom. & civ. c. V. §. 5. Huic rationis dictamini instinctus quidem naturalis veluti succenturiari videtur juxta Puffendorffium lib. 2. de J. N. & G. c IV. §. 16. p. 260. ratio tamen istum instinctum approbat, præcipit, temperat, ac determinat. Vid. Boëclerus ad Grotii lib. 1. c II. p. 176. seqq. His verò ita se habentibus, quis non videt, huic naturali sui amoris & conservationi ab ipsa etiam lege naturæ approbatæ cædem propriam è diametro repugnare? Quippe per hanc *avivere* vitam propriam, quam conservare debebat, perdit ac destruit, & propriæ incolumitatis inimicus evadit. Quodsi enim hostes ii judicantur, qui vita nostra infidias struunt, aut eandem nefariè nobis eripere nituntur, utiq; propriæ vitæ hostis verè dici poterit *avivere*, qui mortem sibi consciens, & quidem hostis eò violentior, eoque periculosior, quò minus hujus insultus declinare & ab ejus ictibus vitani tueri licet, quam tamen contra externi aggressoris violentiam sèpiùs tutam præstare, & vel cæde invasoris defendere permisum censem juris naturalis interpretes. Vid. Grotius lib. 1. c. III. §. 2. & lib. 2. c. 1. §. 3. Puffendorff. lib. 2. c. V. §. 5. Placet ea, quæ hactenus diximus, illustrare verbis Josephi sic contra cædem propriam differentis: *Propriâ manu perire à communi omnium animalium natura discrepat. Nullum est animal, quod ex industria vel per se moriatur. Siquidem naturæ lex validissima, ut velint vivere, in omnibus sita est. Idcirco & qui nobis adimendum id putant, hostes ducimus, & quos nostros insidatores putamus, pœna prosequimur.* H.I. lib. 3. de bello Jud. c. XIV. (al. c. XXV.) p. m. 697.

## §. VII.

Ulterius *homicidium facere nullò modò licet*, loquente sic Lantoniò lib. 6. Instit. Div. c. XX. quippe id tum principiis juris naturæ aduersatur, quibus neminem lædendum esse inculcatur, adeoque etiam talis læsio, quæ maxima est, & in læsi vergit interitum, prohibetur; tum lege Divinâ interdicitur, in qua expressè scriptum legitur: *Non occides*, Exod. XX. 13. Deuter. V. 17. Unde & homicidii turpitudo tempore Ciceronis tanta nonnullis visa, ut negarent, intueri lucem esse fas ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. Vid. Cicero in Orat. pro Milo n. 7. Qui autem cæde propriâ se polluit, eum homicidium committere negari non potest. Etenim qui se occidit, utique hominem occidit, quare apud Senecam dicitur: *Homicida est, quia se occidit*. in Excerpt. Controv. lib. 8. Controv. IV. p. 49r. Quanquam enim non quælibet occisio hominis pro homicidio seu cæde hominis illicita quomodo homicidii vocabulum capiendum vult Grotius lib. I. de J. B. & P. c. II. § 5. n. 2.) haberi possit, cum & in bello hostes licite occiduntur, & Magistratus facinorosos capitali suppliciō licite puniat, homicida tamen utique dicendus est, qui vel innocentem occidit, vel etiam privatō ausu & consilio in cædem humanam ruit. *Qui nullā lege nullō ve mandatō hominem occidit, is homicid: est*, ait Plutarchus in Quæst. Rom. qu. XXXIX. Tom. I. Moral. p. m. 468. Idem verò facit ἀνθρώπος, qui plerumq; se innocentem aut ad minimum indemnatum perimit, & quidem privatā autoritate, propriō ausu atque arbitriō. Denique si homicidium in alium perpetratum illicitum est, multò magis seipsum occidere prohibitum erit, quia quisque se maximè amare tenetur, adeoque propriæ vitæ majorem habere rationem quam alienæ. Charitas enim ordinata à se incipit, & amor proprius regula est ac norma officiorum alteri exhibendorum. Eth. c. IV. §. 1. & c. VIII. §. 10. 7. Eudem. c. VI. Conf.

Conf. Giphanus in Comment. ad 9. Eth. IV. p. 720. seq. & Golius Epit. Doctr. moral. p.m. 334. Inde si id, quod nobis fieri non volumus, alteri facere non debemus, multò minus id, quod alteri faciendum non est, nobis facere licebit. *Lex naturalis* habet secum quandam ordinatam *charitatem*, ut quod in alium nefas est, multò magis in seipsum nefandum judicet, scribit Farinacius Part. V. Oper. Criminal. qu. 128. tit. XIV. p. 395. Non male itaque Hebræi lege ista, quæ de homicidio ejusq; poena exstat Gen. IX. 5. etiam cædem propriam prohibitam censem. Vid. Seldenus lib. 4. de J. N. & Gent. secundum discipl. Hebr. c. 1. p.m. 475. Reste quoque concludit Lactantius: *Si homicida nefarius est, qui hominis extinxitor est, eidem sceleri obstrictus erit, qui se necat, quia hominem necat.* lib. 3. Instit. Divin. c. XVIII. Cui ad stipulatur Augustinus ita scribens: *Non occides, non alterum, ergo nec te, neq; enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit.* lib. 1. de Civit. Dei c. XX. & c. XVII. ait: *Si occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est:* quibus tandem adjungimus Chryostomum ita loquenter: *Si alios occidere fas non est, multò majus nefas est, seipsum occidere.* Comm. in c. 1. ad Galat. Et hinc simul truculentiam cædis propriæ perspicere licet. Sicut enim quævis violentia & injuria, quò amiciori & propinquiori infertur, eò gravior censetur, s. Eth. c. IX. §. 10. ita etiam quò propinquior est is, qui occiditur, eò gravius solet existimari homicidium. Unde cædes Parentum, liberorum, fratribus, atrociora reputantur crimina, quam alieni ejusdam occisio. *Quod enim potest esse majus scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem occidere?* ait Cicero lib. 3. Offic. n. 19. Ille autem qui cædem propriam commitit, proximum & amicissimum eude perdit, iudice Platone lib. 9. de Legibus p. m. 584 indeque haud inconvenienter duximus ea inter species homicidii turpisima judicatur, D. Valent. Alberti in Compend. J. Nat. Part. II. c. III. §. 12. p. m. 81.

item-

itemque recte Petr. Greg. Tholosanus, *Supra modum certè crudelis si videntur, inquit, qui sibi non parcunt, aut mortem sibi parant.* in *Syntagm. Jur. Univ. Part. III. lib. 36. c. XXII. p. 404.*

§. VIII.

Accedit, quod homini in vitam propriam non competit jus aliquod ac dominium absolutum, ut eandem pro lubitu abrumpere possit. Quippe ne quidem membrorum suorum *Dominus existit l. 13. n. ad Leg. Aquiliam*, adeoque ne quidem mutilatio membra, per cuius abscissionem corpus notabiliter suâ integritate privatur, atque imperfectum seu mutilum redditur (vid. de mutili significatione lib. 5. *Metaph. c. XXVII.*) ab hominis proprio dependet arbitrio. Quanquam enim aliquando *immedicable vulnus sit ensē recidendum, ne pars sincera irahatur*, talis tamen putridi membra amputatio non meretur propriè mutilatio dici, quia ejusmodi morbidum membrum nulli amplius est usui, sed corpus in operationibus impedit, & contagione suâ ipsi interitum minatur, adeoque æquiyocè saltem membrum dicitur juxta Aristotelem lib. 2. *de anima c. 1. lib. 1. de gen. anim. c. XIX. lib. 4. Meteor. c. ult.* & recte, ne conservationem totius impedit, amputatur. Conf. D. Alberti *Comp. J. N. Part. II. c. II. § 30. p. m. 73.* Alias de membris humani corporis dicendum est cum Molina: *Dominium membrorum auctor ipse natura, qui ea contulit, sibi ipse reservavit, solum usum & administrationem hominibus concedens.* Tract. III. de *Jus. & Jur. Disp. I. n. 1.* Conf. Grotius lib. 2. de J. B. & P. c. XXI. §. II. n. 2. Quodli verò ne quidem in membra sua jus habet homo iisdem pro lubitu se mutilandi, multò minus in vitam jus habebit illam penitus destruendi. *Quia nemo sibi ipse vitam dedit, sed illa pro Dei beneficio est habenda, adparet quoque homini ne quicquam competere potest, attra in propriam vitam hæc tenus, ut eandem pro lubitu posse abrumpere, ait Puffendorff. lib. 1. de O. H. & C. cap. V. §. 4. p. m. 49.* Deus enim quidem vitæ custodem

con-

constituit hominem, non verò Dominum, & vitæ usumfrumentumq; homini largitus est, dominium verò sibi reservavit. Unde qui vitam pro lubitu profundendi potestatem sibi sumit, in jura Divinæ Majestatis nefariè involat, adeoq; impietatem suam manifestè prodit. Optimè Lactantius: *Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem iussu nobis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitatores, donec jubeat emitti.* lib. 3. Instit. Div. c. XVIII. Egregiè etiam Josephus loquitur: *Si quis depositum hominis surripuerit, aut male tractaverit, pesimus statim ac perfidiosus habetur: Si Dei depositum ex proprio corpore quis ejecerit, eum se latuisse quem laeserit estimabit?* Et seruos quidem fugientes ulcisci justum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint, ipsi verò Deum fugientes & optimum Deum impie facere non videbimur? H.I. lib. 3. de B. J. c. XIV. p. 697. Philosophi gentiles itidem, ut ostendant, homini in vitam suam non competere absolutum dominium, sed Deo, adeoque absq; Dei iussu non esse ex hac vita recedendum, variis hoc assertum suum similitudinibus declarant. Pythagoras vetabat *in iussu Imperatoris, id est, Dei de praesidio & statione vita decedere,* teste Cicerone de Senectute num. 73. Socrates apud Platonem duas adhibet similitudines, alteram à captivis alteram à servis petitam. Verba ejus sequentia sunt: *Profecto sermo ille, qui de hisce rebus in arcano habetur, quod nos homines sumus in quadam custodia, neq; decet quenquam ex hac scipsum solvere neque aufugere, magnus quidem mihi videtur neq; cognitio facilis. Verutamen id mihi, ô Cebe, recte dici videtur, Deos quidem curam habere nostri, nos verò homines unam quandam ex possessionibus esse Deorum, annon tibi ita videtur? Mibi quidem, inquit Cebe. Nonne igitur, inquit porrò Socrates, & tu si quod ex mancipiis tuis scipsum perimeret, cum tu minime significasses, velle te, ut è vita excederet, irascereris illi, & si potestatem haberes, paenam quadam afficeres.*

ficeret. *Omnino*, inquit. *Fortasse igitur*, concludit Socrates, *hoc modo non præter rationem est, non prius decere seipsum interficere, quia Deus necessitatem aliquam imposuerit.* Hæc Socrates apud Platonem in *Phedone* p.m. 335. Ex mente Socratis & Platonicorum aut etiam Pythagoræ loqui quoque videtur Scipio apud Ciceronem, quando ad filium ait: *Tibi & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec injusus ejus, à quo ille est vobis datum, ex hominū vita migrandū est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse videcamini, in somnio Scipionis Tom. IV. Oper. p.m. 675.* In eadem sententia est Apulejus Philosophus Platonicus, quando ait: *Sapiens corpus non relinquat invito Deo. Nam et si in ejus manu est mortis facultas, quamvis sciat, se terrenis relictis consecuturum esse meliora, nisi necessario perperiendum esse istud lex Divina decreverit, accersere tamen sibi mortem non debet.* H. I. lib. de *Philosophia* p.m. 52. Conf. Plotinus fusius cædem propriam rationibus ex *Philosophia Platonica* petitis impugnans apud Macrobius lib. I. in *somnium Scipionis* c. XIII. p.m. 53. seq. Denique & Stoicum audiamus ad mentem Pythagoræ loquenter, nempe Epicétetum, qui inquit: *Homines, Deum expectate, cum ille significarit, & vobis muneris istius vacationem dederit, tunc ad eum revertimini. Nunc vero aquo animo tuemini stationem istam vobis ab eo attributam.* apud Arrianum lib. I. in *Epicēt. Dissert. IX.* p.m. 42. Conf. etiam Epicétetus in *Enchiridio* c. XXIII. & Simplicius in *Consent.* ad h. l. p.m. 80.

### §. IX.

Dénique & ex hoc capite cædes propria improbanda est, quod per eam civitas injuriā afficiatur. Etenim initio ἀντόχειο leges civitatis violat, utpote quæ, imprimis in Rebus p. moratorum gentium nemini permittunt privatō arbitriō de vita cuiusquam hominis, adeoq; nec de propria statuere. Deinde de propria cida haud rarò Rempubl. utili membrō privat, & sic paclum violat, quod civitati obstrictus erat, ad promovendam

dam ejus salutem, quam verò, dum se interficit, quantum in se est, neglit ac impedit, officiaque civitati præstanta subterfugit, ac fœdam corpori civitatis mutilationem infert, dum illud membrò, quod adhuc superesse poterat, & superesse debbat, spoliat. Taceo, quod sibi necē consciente sit res pessimi exempli, adeoq; vel hōc ipsō civitati noceat. *Qui irā impulsus sibi ipsī mortem conciscit, facit illud sponte contra rectam legē, quod lex minime permittit. Injuriam igitur facit; sed cui? nonne civitati?* scribit Aristoteles lib. 5. Eth. c. XI. §. 7. & 8. Ad quæ verba Michael Ephesius ita commentatur: *Qui se occidit, civitatem procul dubio injuriā afficit, eò quod vel Duce, vel milite, vel artifice, vel aliquo hujusmodi ministrō ipsam privat. Necesse enim est, ut, qui se interficit, vel Princeps, vel miles, vel artifex, vel aliqua alia civitatis pars fuerit. Quare cum civitatem cive privet, eam injuriā afficit.* Comment. in 5. Eth. p. m. 317. Hinc etiam civitas, quæ ab huiusmodi homine offensa & injuriam passa est, certas propria-  
cidæ statuere consuevit poenas, quod iterum Aristoteles indi-  
cat, inquiens: *Mult at eum civitas & ignominia afficit, qui se ipsum exanimavit, ut qui civitatem injuriā afficiat.* loc. antè cit. §. 9. Ad qualem poenam & ignominiam hic respiciat Philosophus, ex Andronico Rhodio addiscere licet, qui ad h. l. ita scribit: *Poenas ab eo, qui se interficit, exigit civitas, eumque ulciscitur, ut potest. Neque enim corpus sepultura tradi permittit.* Comment. in 5. Eth. c. XVII. (al. XI.) p. 244. Conf. etiam Mich. Ephesius loc. modo cit. Et quidem historiarum monumenta si evolvamus, varia poenarum & ignominia genera à Rebusp. variis consti-  
tuta esse ἀνωχέτου deprehendimus. Apud Hebræos moris erat eos, qui se occiderant, usque ad solis occasum insepultos ab-  
jicere, adeoque durius quam hostes tractare, si credendum Josepho lib. 3. de bello Jud. c. XIV. p. 697 & Egesippo lib. 3. de Excid. Hierof. c. XVII. Nec hodierni Judæi consuetas alias ceremonias in sepultura propria-  
cidæ adhibent, quod patet ex Buxtorffii Sy-

nagoga Judaica c. XLIX. p. m. 705. Romanos itidem eos, qui la-  
queō finiverant vitam, aliquando sepeliri prohibuisse, testis  
est Servius in lib. XII. Aeneid. Tempore Tarquinii Prisci, cum  
plebs tædiō laboris meatuum subterraneorum ædificando-  
rum necem sibi consiceret, furori plebis sedandæ hoc in-  
veniebatur remedium, ut omnium ita defunctorum corpora  
crucibus figerentur, spectanda civibus Romanis & feris volu-  
cribus laceranda, Plinio referente lib. 30. N. H. c. XV. p. m. 643.  
Apud Senecam allegatur lex: *Homicida in se insepultus abiciat-*  
*tur, & paulo post dicitur: Facinus indignum, si inveniantur ma-*  
*nus, quæ sepeliant eum, quem occidere sua. in Excerpt. Controv. I. 8.*  
*Controv. IV. p. m. 495. seq.* Athenienses defuncto propriidæ ca-  
daveri manum tanquam facinorosam amputabant, reliquum  
verò cadaver humo tegebant, Alex. ab Alex. lib. 5. G. D. c.  
XXVIII. Milesiorum virgines cum furor quidam ad vitam sus-  
pendio finiendam abriperet, huic sequenti lege promulgata  
obviam ibatur à Milesiis, ut virgines quæ suspendi se neca-  
sent, nudæ cum eodem laqueo, quò erant prævinctæ, per fo-  
rum efferrentur; Et ita reliquæ à voluntaria cæde tam inhone-  
sti funeris pudore deterritæ sunt. Vid. Plutarchus lib. de virtu-  
tibus mulierum. Tom. I. Moral. p. m. 428. Gellius l. 15. N. A. c. X.  
Plato iis qui seipso vi sceleratæ privaverint vitâ, vult sepultu-  
ram fieri solitariam, ubi alius nemo condatur, in locis regio-  
nis ultimis, desertis & innominatis, ita ut nec statuâ, nec in-  
scripto nomine sepulchra notentur. lib. 9. de Legibus p. 584. In  
Rebuspubl. Christianis itidem variis ignominiaæ generibus  
ἀντοχέων cadavera afficiuntur. Ex decreto Concilii Bra-  
carensis I. honesta ipsis denegatur sepultura, quippe canon.  
XXXIV. hujus Concilii sic sonat: *Qui sibi ipsis quolibet modō cul-  
pabili inferunt mortem, nulla pro illis fiat commemoratio, nec cum  
Psalmis sepeliantur.* Vid. Caranzae Summa Concil. p. m. 411. Conf.  
etiam canon. XVII. Concilii Antisiodorensis apud eundem p.

376. qui canones relati sunt in Jus Canonicum c. placuit caus. 23.  
 qu. 5. Carolus V. in legibus rerum capitalium n. 135. quorundam  
~~āντησίων~~ bona fisco adjudicat, cui simile statutum inveni-  
 tur l. 8. π. ad L. Pompejam de parricidiis. Sic quoque in Flandria  
 sui ipsius parricidium confiscatione bonorum punitum esse  
 testatur Tholosanus Syntagm. Jur. Univ. Part. III. lib. 36. c. XXII.  
 Quibusdam in locis ~~αντησίων~~ dolio inclusi & in proflu-  
 entem proiecti, additâ inscriptione: Lasß diesen gahn / er hats  
 ihm selbst gethan; alibi mutilatâ manu quâ facinus perpetrâ-  
 runt, in loco publico ad terrorem aliorum furcâ suspensi.  
 Vid. Georg. König Cas. Consc. Cas. VI. p. 62. Jure Saxonico ca-  
 davera propriacliarum vel sub tecto domus per fenestras de-  
 jiciuntur, vel sub limine extrahuntur, & supra rastrum edu-  
 ci vel comburuntur, vel in campo suppliciis destinato aut  
 saltem extra coemeterium in locis separatis sepeliuntur, qua-  
 lis sepultura vulgo canina aut asinina appellari solet. Conf.  
 Liebenthal: Exerc. Eth. VII. qu. 10. Carpzovius Jurispr. Eccles.  
 lib. 2. tit. 24. def. 376. n. 9. Apud nos itidem sui homicidae à  
 nullo ingenuo homine tangi sed à carnifice ad patibulum rapi-  
 & summo cum opprobrio defodi solent. Conf. fusæ de pœ-  
 nis propriacliarum tractantem Farinacium Part. V. Oper. Crimi-  
 nal. qu. 128. tit. 14. p. 394. -- 410. Neque est, ut quis ejusmodi  
 poenas in ~~άντησίων~~ exercitas pro injustis aut absurdis & fru-  
 straneis habeat. Atrocibus enim delictis atroces quoque de-  
 bentur pœnæ, & quoniam propriaclæ mortem pro supplicio  
 non habent, judice Grotio lib. 2. de J. B. & P. c. XIX. §. 5. n. 1.  
 utique aliò suppliciorum genere, quale mortuis irrogari pot-  
 est, afficiendi sunt, inter quæ non postremum est sepulturæ  
 honestæ privatio, quippe honore sepultura carere acerbissimum:  
 antiquis erat, dicente Turnebo lib. 13. Adversar. c. IX. p. m. 236.  
 Et sicut bene meriti etiam post mortem recte honoribus or-  
 nari possunt, ita nihil vetat, quò minus sceleribus infames.

etiam post mortem ignominia notentur. Quanquam autem sensu ejusmodi suppliciorum mortui destituantur, nihilominus tamen poenæ istæ testimonium publicum existunt, quæ detestandum & abominabile scelus ab iis fuerit perpetratum, adeoque ignominiam etiam post mortem durantem iis incurrunt. Præterea hunc habent usum, ut viventes à paribus delictis revocent & deterreant, quomodo e. g. Tarquinius Priscus Romanos, Milesii virgines suas, poenis in propriae cadavera constitutis à propriæ cædis furore retraxerunt, quemadmodum ex Plinii & Gellii locis antea citatis patet.

§. X.

Evidetur haec tenus dedimus, cædem propriam pro re illicita habendam, exinde vero sua sponte fluit, *ἀντιχείρως* minus rectè fortitudinis titulò incrustari, siue interfectores fortibus male accensi. Nam à fortitudine non proficiuntur alii turpes, neque fortis talia agit, quæ sunt illicita, sed circa honesta occupatur, & secundum virtutem operationes suas exercet. Vid. lib. 2. Eudem. c. 1. qui vero seipsum occidit, in negotio turpi atque illico occupatus esse deprehenditur. Evidem fortis & *ἀντιχείρως* convenire videntur in hoc, quod uterque versetur circa terribilia, imprimis circa id, quod maximè terribile habetur, nempe mortem. 3. Eth. c. VI. §. 14. alia tamen est mors, quam vir fortis, alia quam *ἀντιχείρως* sustinet. Mors, quam fortis intrepide subit, est honesta, est pro salute patriæ suscepta, est præclara ac gloria, quippe cui splendidissima decernuntur præmia. Conf. 3. Eth. VI. §. 17. 18. 1. Rhet. c. IX. Plato in Menexeno p. m. 355. Thucydides lib. 2. de Bell. Pelopon. pag. m. 76. ast mors eorum, qui sibi violentas inferunt manus, non est honesta, quia juri naturæ, legibusque Divinis & humanis contrariatur, non salutaris, quia civitatem injuriâ afficit, non gloria, quia infamiam & poenas habet consequentes, quod

quod ex antecedentibus satis constat. Fortis, quæcunque agit, illa agit rectæ rationis ductu & ex deliberato animi proposito, non verò ex sola perturbatione. Non oportet eum, qui verè fortis, ob perturbationem effe fortem. 1. *Magn. Mor.* c. XXI. *Sedita, ut ratio monet, agere.* 3. *Eth. c. VIII. §. 32.* Hinc neq; temerè pericula adit, neque instar bestiarum inconsideratè in ferrum hostium ruit, sed cautè procedit, & pericula ingruntia pro virili propulsat, quodsi verò aliter fieri non possit, & salus Reip. ita exigat, mortem intrepidò sustinet animō, non quidem ita, ut propriā manu illam sibi consciscat, sed ab hoste illatam fortiter perferat. *Fortium enim virorum est magis mortem contemnere, quam odisse vitam, neque belluarum ritu in perniciem non necessariam ruere,* juxta Curtium lib. 5. c. IX. n. 6. Ast *avroph* in cædem propriam non rectæ rationis svasu, sed affectuum impetu, plerumque metu, impatientiâ, desperatione &c. impellitur. Multi enim ex rabie & repentina indignatione mortem sibi depositunt, non diffidente Seneca Epist. XXX. p. 115. Imò tantum absit, ut ex rectæ rationis præscripto agant propria, ut potius manifesta amentia suæ præbeant argumenta, dum malum majus nempe mortem eligunt, ut effugiant mala minora, e. g. paupertatem, morbum, ignominiam aut alias calamitates, quod utique à ratione & prudenter alienum existit. Inde Procopius: *Vitam abrumperem nullò mortis usū, præcepit amentia est, cæca adversus mortem ferocia inanem quandam habet fortis animi speciem, à sapientibus insipientia ducitur.* H. I. lib. 4. Hist. Goth. Fortis est res molestas atque alperas patienter tolerare 3. *Eth. c. VI. §. 13.* unde Lukanus:

---- Fortissimus ille est,  
Qui promptus metuenda pati, si cominus infest  
Et differre potest. ----

lib.

lib. VII. Pharsal. v. 105. seqq. *ἀντράχειρ* verò res molestas, quales sunt paupertas, morbus, senectus &c. perferrere non vult, sed metu aut tædiò earum è vita excedit, adeoque non fortis sed potius timidus atque ignavus est dicendus. *Mori fugientem vel paupertatem vel amorem vel aegritudinem aliquam non est viri fortis sed ignavi potius.* Mollis enim est animi res arumnosas & laboriosas fugere, scribit Aristoteles 3. Eth. c. VII. §. 27. Conf. 2. Eudem. c. I. p. m. 131. A. Sic quoq; apud Cæsarem dicitur: *Animi est ista mollities non virtus, inopiam paulisper ferre non posse.* Qui se ultrò morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant. lib. 7. de bell. Gall. c. 77. Hinc etiam Hercules apud Euripidem metuit, ne timiditatis alicujus accusetur, si lucem reliquerit propter casus ad versos. Vid. Euripides in Herc. furent. v. 1347. seqq. Vol. II. Tragæd. p. m. 565. Denique fortis omnia agit ac suffert honestatis gratia, utpote quæ virtutis finis est. 3. Eth. c. VII. §. 5. &c. IX. §. 8. 1. M. M. c. XXI. *ἀντράχειρ* autem non mortem subeunt ac perforunt, quod honestum sit ita facere, sed quod malum fugere studeant. 3. Eth. VII. §. 29. Recte itaque Josephus objicientibus: *Viri fortis est semet occidere,* respondet: *Imo verò ignoransimi, quantum opinor. Nam & gubernatorem timidissimum puto, qui tempestatem metuens ante vim turbinis navem sponte submergit.* Et paulò antè ait: *Juxta timidos est habendus, qui mori non vult, cum opus est, & qui vult, cum non oportet.* H. I. lib. 3. de bell. Jud. c. XIV. quibus gemina inveniuntur apud Ammianum Marcellinum, ita scribentem: *Æquo animo juxta timidos est & ignavus, qui cum non oportet, mori desiderat, & qui refugiat, cum sit opportunum lib. 25. c. IV.*

## §. XI.

## §. XI.

**I**Is tanquam generalioribus præmissis, descendens dum jam ad casus quosdam specialiores, de quibus circa præsentem materiam disquiri solet. Et quidem initio considerandi veniunt illi, qui ex melancholia aut phrenesi manus violentas sibi inferunt, Melancholiæ enim in multis causari, ut vitam odio habeant, & mortem sibi conscient, testis est Galenus lib. 3. de locis affectionis c. IV. testantur id quoque varia exempla. De Cleomene Spartiarum Rege memorat Herodotus, quod morbō insaniae correptus gladiō acceptō à suris incipiens se detruncaret, donec ad abdomen perveniens in eo rescidendo expiraret. Vid. Herodotus lib. 6. p. m. 349. De Lucretio Poëta Eusebius narrat, quod in furorem versus propriā manu se interfecerit. in *Chronico Olymp. CLXXI.* Conf. Vossius de Poëtis Latinis c. I. p. m. 13. Cum Atticam depopularetur pestis, multi vi morbi in phrenesin acti illi puteos se præcipitârunt, quod ex Lucretio affert Cœl. Rhodiginus lib. 23. Lect. Ant. c. XXXII. ubi quoque testatur in Lugdunensi Gallia aliquando mulieres melancholiæ vexatas crebrò in præaltos puteos se præcipites deditse. Suspendium virginum Milesiarum, cuius Disp. Prior. §. 9. p. 20. mentionem fecimus, ex melancholia profectum esse, persvadere poterunt ea, quæ de isto annotavit Doctissimus Wedelius Exercit. Medico-Philolog. Decad. VI. Exerc. VII. p. m. 40. seqq. Imprimis memorabile est, quod Voëtius refert, nempe Berckium Fœderati Belgii ad Venetos Legatum, ubi An. 1625. cum suis lustraret cœnobium Carthusianorum, didicisse illic, Monachos non paucos istius ordinis diætâ suâ piscariâ, silentio & solitudine in melancholiæ actos quotannis sibi manus inferre, adeo ut Generalis eorum more so-

D

litō

litō de statu ordinis sui referens ad Papam dixerit: *Deo grātias, tantum quinquaginta hōc anno scip̄os suspenderunt.* Vid. Voëtius *Diss. Select. Volum. IV. Diss. XXI. §. 2. p. 246.* De ejusmodi autem melancholicis & phreneticis mitius pronunciandum, ipsorumque cādem propriam excusandam esse plerisque videtur, dummodo species, gradus ac intervalla melancholia & furoris rectē distingvantur, neque ipsi ex propria culpa, e. g. per iram, aut ebrietatem in delirium aut furorem inciderint. Qui enim adeō melancholiā aut phrenesi correpti sunt, ut rationis usus impeditus sit, & mentis plane impotes existant, illi utique *āmōxēs ēas* propriè dictæ incusari non possunt, quia sponte aut ex deliberato animi propositō se non occidunt, sed quicquid agunt, ex ignorantia agunt, adeoque factum ipsorum est invitum per ignorantiam, de quo videndus Aristoteles *lib. 3. Eth. c. I. §. 36.* tale autem factum excusationem mereri ex *s. Eth. c. VIII. §. 34.* patet. Hinc enim qui alium hominem per ignorantiam occidit, ab homicidiī criminē absolvi solet, pariter ergo excusatione non indignus est judicandus, qui seipsum ex impotentiā mentis interficit. Similis nempe est ejusmodi homo dormienti, qui itidem, quæ agit, ignorat, unde sicut dormiens, si forte in somno ē sublimi ē præcipitem daret, *āmōxēs ēas*, insimulari non possit, ita etiam, qui impos mentis est, hujus criminis argui non debet, sed hic valet, quod ab Ulpiano dicitur, in eo nullam esse culpam, qui suā mentis non sit. *I. s. 2. ad L. Aquiliām.* Et hinc etiam fieri solet, ut quanquam in illos, qui sponteā morte se peremint, graves pœnæ sint constituae, isti tamen, qui ex melancholia aut furore quonda manus sibi intulerunt, à pœni talibus immitius existant, & ad minimum tantā ignominia, quantā malitiosi proprietā, non afficiantur. *Conf. Farinacius Part. V. Oper. Criminal. qu. 123. tit. XIV. n. 18. p. 397.* Ostiander in *Comment. ad Grotii lib. 2. c. XIX. p. 1107.*

§. XII.

## §. XII.

Porro disquiri potest: *Utrum vitam abrumpere liceat tunc, si quis videat, se deinceps in probrum ipsius Dei victurum?* Cui questioni ansam dedit Grotius affirmativam eus tribuens Hebraeorum nonnullis lib. 2. de J.B. & P.c. XIX. §. 5. n. 4. quorum sententiam clarius explicat D. Georg. König sic scribens: *Rabbi tractantes historiam Samonis (adde & Saulis) disputant, in dupli casu permittandam esse ἀντοχὴν, aut si quis metuat, vitam suam ludibrio habitum iri in contemptum Dei, aut ne tormentorum magnitudine exagitatus fortean deficere cogatur ab agnita veritate.* in Cas. Conic. c.V. Cas. VI. p. 53. Ad priorem casum referunt exemplum Simsonis, qui, cum in suo corpore veram religionem videret esse derisui, se unā cum hostibus perdidit. Judic. XVI. 20. itemque Saulis, qui gladio incubuit, ne à Dei suisque hostibus illuderetur. I. Sam. XXXI. 4. unde fortitudo ejus magnis encomiis extollitur à Josepho lib. 6. Antiqu. Judaic. c. XV. R. David Kimchi Saulem sic defendit:

לא חטא שallow בהרנו עצמו ואעפֶ שכךוב אך את ורמכם לפשוויכם אדורש כלו מידכם אדורש אותו אך תחרנו עציכם - אעפֶ כן לא חטא לפי שהוה יורש שallow כי סופו היה למות במלחמה כי, כן אמר לו שallow ועוד כי ראה כי פשאחו הכווית אשיש בקשת ולא היה יכול להמלט מיל טב רוח שחרור הוא עצמו ולא יתעללו בו חערלים וכן אמרו רל אך את רמכם לפשוויכם אדורש יכול שallow תל אך i.e. Non peccavit Saul occidendo seipsum. Licet enim scriptum sit: Quin etiam sanguinem vestrum de animabus vestris requiram. (Gen. IX. 5.) q.d. de manu vestra requiram eum, si occideritis vos ipsos -- etiamsi, inquam, ita scriptum sit, non tamen peccavit Saul, quia sciebat, finem suum adesse, ut moreretur in prælio, quippe ita prædixerat ei Samuel; præterea videbat, se inventum esse à sagittariis, quorum manus effugere non poterat, inde bonum erat, ut seipsum occideret, ne illuderen ei præputiati.

Et ita sentiunt Rabbini nostri p. m. verba ista: Veruntamen sanguinem vestrum de animabus vestris requiram, exceptionem admittere ejus casus, in quo Saul constitutus fuit, hocq; indicari voulâ **¶**. Hæc Kimchi in Comment. ad I. Sam. c. XXXI. Conf. pluribus Hebræorum sententiam exponentes Lyra atq; Münsterus ad eundem locum. Posteriorem casum illustrare possunt verba Judeorum ad Petronium, quæ ex Philone adducit Grotius, & sic habent: Miscebimus inter nos sanguinem morte sponte sumptâ, tum mortuis ista imperentur. Ne Deus quidem nos culpet in duo intentos, ut & Imperatorem revereari, & sacras leges custodiamus. Id autem ita demum efficere dabitur, se abeamus hinc contemptâ vitâ minimè vitali. Nec in historia Christiana desunt exempla eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne fortè adacti tormentis religionem Christianam ejusrarent. Reperti sunt, qui prius se ex locis superioribus precipites dederunt, quam periculum tormentorum adirent, mortem potius citam obire, quam ut impiorum laqueis caperentur, properantes scribit Nicephorus lib. 7. Hist. Eccl. c. XI. quæ de prompta sunt ex Eusebio lib. 8. H.E. c. XXIV. In specie de Apollonia virginе Eusebius memorat, quod, cum dira ipsi minarentur persecutores, nisi Christianam religionem abnegaret, illa sponte in rogum se conjecerit & flammis absunta sit. lib. 6. H.E. c. XXXIV. Conf. de eadem Nicephorus lib. 5. c. XXX.

### §. XIII.

Nos neutrò ex antè dictis casibus cædem propriam licetam esse statuimus. Nam quod casum priorem attinet, non urgebimus jam cum Ostiandro Comm. ad Grot. p. 1108. non ita certò aliquem prævidere posse, se in probrum Dei victurum, cum Deus mille modos habeat, quibus in singula momenta gloriam nominis sui patescere, probrum abstergere, & hominem ab imminentibus periculis eripere possit; neque cum D. Königio Cas. Conf. l. c. p. 53. urgebimus, non reste asserti de

de iis, quod in probrum Dei vivant, quorum corpori & vi-  
tae ob nomen Dei ignominia & vis infertur, cum potius no-  
men Dei per ipsos glorificetur, quando fortiter illa sustinent,  
qua ob confessionem ejusdem pati coguntur ; hoc saltem  
pro sententia nostra stabilienda afferimus, quod, etiam si quis  
prævidere possit, se in opprobrium Dei victorum, haec ta-  
men causa nondum sufficiens sit, ob quam vitam sibi eripere  
possit. Neque enim legem quandam Hebræi producere  
possunt, qua ipsi permittat ob hanc rationem vitâ se exue-  
re, potestatem verò hic exceptionem quandam formandi,  
ubi ipsis lex naturæ & Divina universalis de non faciendo  
homicidio obstant, ipsis concedere non possumus. Quod  
verò hic ad presumptam Dei voluntatem confugiant, que  
mortis anticipanda consilium absolvat, dicente Grotio l.c. talis  
præsumptio nulla est, quippe qua ex nullo certo signo col-  
ligi potest, sed potius contraria præsumptio elicetur ex ge-  
nerali præcepto, quô homicidium prohibitum est. Exem-  
pla Simsonis & Saulis in contrarium allata fuse discutere non  
est nostri instituti, sed de iis accuratius judicare Theologo-  
rum est, ad quos Lectorem remittimus, imprimis vero evol-  
vendi sunt, qui ad lib. Jud. c. XVI. & I. Sam. c. XXXI. com-  
mentantur, interque eos Calovius in *Bibl. illustr. ad h.l. & Polus*  
*in Synopf. Crit. ad dictos libros.* Conf. etiam Osiander l.c. p. 1109.  
& Georg. Hornius in *not. ad Sulpic. Severi Hist. sacr. lib. I. c. LII.*  
*p. m. 153.* quanquam nec ex Philosophis desint, qui factum  
Simsonis considerandum suscepereunt, inter quos nominamus  
Rechenbergium *dissert.* de *Simsone Herœ,* qua habetur  
*Part. I. Voluminis Dissertat. Historico-Polit. pag. m. 52. seqq.*  
itemque Christianum Röhrensee Prof. Witteberg. *dissert. de*  
*Simsone in rebus absoluto.* Nos ad memorata exempla saltem  
Cl. Ziegleri succinctam responzionem subjungimus, qui de  
Simsonе ait: *Samsonis exemplum uti heroicum & extraordina-*

39

rium referri huc non potest. Nec propriè ~~aut~~ ~~ex~~ ~~et~~ ~~hac~~ commisit Samson, quippe tuus vires tantæ non erant, ut columnas istas adificium insistens prosternere valeret, sed ipse Deus stragem istam edidit, usus scilicet Samsonem veluti instrumento insirmo licet & ex se minus sufficiente. De Saule verò inquit: *Hic ex desperatione sibi manus intulit, non ob gloriam nominis Divini.* Conf. Comment. ejus ad Grotium p. m. 422. Sed nec posteriori casu cædem propriam approbare possumus, quando fit ob evitandam idolatriam. Quodsi enim hâc ratione evitare licuisset idolatriam, aut ~~de~~ ~~modus~~ à veritate, cur plerique Martyres tam diris cruciatibus se excarnificari passi sunt? cur crudelissima suppliciorum genera in se exerceri permerserunt? Nonne satius fuisset mitius mortis genus eligere, & propriae mortis saevitiam aliorum anteverttere? Quis enim sanæ mentis, si inter duo mala, quorum neutrum turpitudinem moralem involvit, optio detur, non eligeret minus ad effugiendum majus? Ast alia hic suberat ratio. Noverant scilicet, tale occidendi seipso jus sibi non competere, noverant talem vitæ exitum cum criminis conjunctum esse, ideoque alieno, quam suō scelere, perire malebant, loquente sic alias Dario apud Curtium lib. 5. c. XII. num. 11. *Non est nostri mortem arripere sed illatam ab aliis libenter excipere,* ait Hieronymus Comment. in Jona c. 1. Sicut enim mala turpia non sunt facienda, ut inde bona eveniant, ita nec committendum est unum peccatum, ut effugiamus alterum, quippe illius turpitudinem sola intentio bona huus effugiendi abstergere non valet. Restè igitur Augustinus loquitur: *Si detestabile facinus & damnable scelus est, seipsum occidere, sicut veritas manifesta proclamat, quis ita desipiat, ut dicat: Jam nunc peccemus, ne postea foris peccemus.* lib. 1. de C.D. c. XXV.

#### §. XIV.

Accedimus jam ad fæminas illas, que pro conservanda pudicitia

citiae mortem sibi intulerunt, quarum exempla historia tum Ethnica tum Christiana suppeditat. Cicero mentionem facit virginum quarundam nobilissimarum, quae in puteos se abjecerint, ut morte voluntariâ nefariam turpitudinem depellerent. *Orat. XXXVI. de Provinciis Consularibus n. 6.* Apud Val. Maximum celebratur Graeca foemina nomine Hippo, quae cum hostium clasfe esset excepta, se in mare, ut morte pudicitiam tueretur, abjecit. *lib. 6. c. I. Extern. n. 1.* Captis eversisque Thebis cum virgo quædam Thebana sibi ab hostium Duce vim parari animadverteret, suâ manu sibi mortem concivit, referente Fulgoſo *lib. 6. c. I.* qui etiam de quinquaginta virginibus Spartanis memorat, quod à Messeniis juvenibus ad Venerem sollicitatae, ut illorum vim incolumi pudicitâ effugarent, mortem oppetierint. De Mallonia illustri foemina Romana narrat Svetonius, quod, cum ad Tiberium libidinosissimum senem esset perduci, neque cupiditatibus ejus obsecnis obsequi vellet, instinctu ejus delatoribus fuerit objecta, quam cum ne ream quidem interpellare desineret, ecquid pœniteret? ipsa pro tuenda pudicitia sua derelicto judicio domum se arripuerit, ferroque transegerit. *in Tiberio c. XLV.* Simile ferè exemplum de alia quadam muliere Romana nobili & quidem Christiana adducit Eusebius. Illius amore captus Maxentius cum ad eam ministros libidinis, ut ad se ducerent, misisset, maritus autem metu mortis eam abduci vereare non posset, illa petuit se ornandi tempus & impetravit. Cubiculum verò ingressa gladiô se transfodit. *Conf. Eusebius lib. 8. H. E. c. XXVII. & lib. 1. de vita Constantini c. XXVIII.* itemque Nicephorus *lib. 7. H. E. c. XXI.* Similiter Eusebius de muliere quadam Antiochena testatur, quod unâ cum duabus filiabus virginibus ad stuprum effugiendum in profluentem gurgitem se præcipitaverit. *lib. 8. H. E. c. XXW.* Vid. de eadem Nicephorus *lib. 7. c. XII.* Pelagiæ virginis meminit Ambrosius,

quæ

32  
quæ ne à milite inseguente violaretur, seipsam interemit, &  
in actis Luciani Martyris de teſto altissimo ſe præcipitâſſe  
dicitur; Mater verò & foresses Pelagiæ à militibus quæſitæ  
in flumen ſe congecerunt. Vid. Ambroſius lib. 3. de Virgi-  
nibus Tom. IV. Oper. p. 478. seq. An hæc mater Pelagiæ fu-  
erit eadem mulier Antiochena, cuius anteā ex Eusebio faſta  
eft mentio, quemadmodum quidem Baronius vult Tom. III.  
annal. ad ann. 303. ſit penes alios judicium. Ad has foeminas  
fortè Auguſtinus reſpicit, ita ſcribens: *Quedam ſancta foemi-  
nae tempore perſecutionis, ut inſectatores ſue pudicitiae devitarent,  
in rapiurum atque necaturum ſe flumen projeceſſunt, eoque modò  
defunctæ ſunt. lib. I. de C. D. c. XXVI.* Procopius lib. 2. de bello Per-  
ſico refert, captâ Antiochiâ à Cosroë Rege Persarum, duas  
Antiochenas foeminas illuſtres, ne quid ab hostibus turpe  
paterentur, curſu ſtatiū ad Orontem contendifſe, & opertiſ  
flammcolò capitibus ſe in profluente jecifſe. Addimus adhuc  
exemplum foeminae cuiuſdam Aquilejenſis nomine Dignæ  
nobilis atq; formoſæ, quæ cum patriam ab Attila Hunnorū  
Rege expugnatam hostesque victoriâ abutentes conſpiceret,  
vitam potius quam pudicitiam amittere ſtatuit. Itaq; turrim  
quandam ascendit & capite obvoluto in ſubiectum torri flu-  
rium ſe præcipitavit, quemadmodum ex Bizari lib. 1. de bell.  
Cypr. adducit Camerarius Cent. 3. Hor. ſubcif. c. LXXXVIII. p. m.  
294. Quid de facto ejusmodi foeminarum ſentiendum ſit, non  
ita certum eſt apud omnes. Quidam ejusmodi factum ſim-  
pliciter approbaſſe videntur, quæ ſententia erat gentilium,  
qui in foeminiſ Christianiſ culpaſſant, quod ſtuprum pateren-  
tur, & non potius illius evitandi gratia ſe occiderent, quemad-  
modum patet ex Auguſtino lib. 1. de C. D. c. XVI. Et ab hac  
ſententia neque Hieronimus alienus eſſe cenſetur, quando  
ait: *In perſecutionibꝫ non licet mihi propriâ perire manu absque  
eo, ubi caſtitas pericitatur.* Comment. inc. I. Jona, quæ verba li-  
cet

cet quidam in contrarium planè sensum flecant, alli tamen istiusmodi interpretationem violentam judicant. Præterea sicut ob tale factum Ethnicæ fœminæ ab historicis gentilibus, ita Christianæ ab Ecclesiasticis Scriptoribus laudantur, sicut tam ex Eusebii locis suprà adductis constare potest, quam ex Ambrosii lib. 3. de Virginibus & Enarrat. in Psalm. CIV. elucescit, ubi Pelagiam magnis effert laudibus, cuius fortitudinem etiam Chrysostomus in peculiari Homilia deprædicat. Alli excusant fœminas istas, inter quos Augustinus, qui iis ignoscendum putat lib. 1. de C. D. c. XVI. Lessius fœminas impr. Christianas duplenter excusari posse putat (1.) quod id fecerint Divinâ inspiratione, quomodo etiam quædam illarum ab Augustino excusantur lib. 1. de C. D. c. XXVI. & ex eodem capite Pelagiam Chrysostomus laudat. (2.) quod id fecerint per ignorantiam inculpatam. Vid. Lessius lib. 2. de Just. & jur. c. IX. Dubit. VI. n. 23.

### §. XV.

Nos, si simpliciter queratur: *Utrum fœminis ob stuprum evitandum se interficere liceat?* negativam defendendam suscipimus. Cui negationi ut sua constet ratio, fundamenti loco illud ponendum est, quod fœminæ per stuprum seu violentiam alienæ libidinis pudicitia auferri non possit, si ipsa in libidinem non consentiat. Est enim pudicitia virtus animi, adeoque licet corpus stuprò violetur, si tamen voluntatis assensus non accesserit, animus inviolatus manet, neque pudicitia perit. Ad animum namque respiciendum est non ad corpus, si de pudicitia aut impudicitia judicium ferendum sit: Unde etiamsi corpus manferit intactum, mens verò fuerit impudica, castitas salva non manet. Mens enim est profecto, quæ peccat, quæ immoderate libidinis factum cogitatione complectitur, in hac crimen est, in hac omne delictum. Nam et si corpus nullà sit labe maculatum, non constat tamen pudicitia

*ratio, si animus incestus est, nec illibata castitas videri potest, ubi conscientiam cupiditas inquinavit,* scribit Laetantius lib. 6. *Instit. Divin.* c. XXII. unde Basilius *quoque ait, quod ea, qua animo virginitatem amist, nec corpore virgo sit.* lib. de vera virginitate. Contrà eti corpus alienâ libidine fuerit pollutum, animus verò non consenserit, pudicitia integra manet. Hoc modò ægram animi Lucretiam consolabantur Collatinus & Brutus dicentes, *mentem peccare, non corpus,* & unde consilium absuerit, *culpam abesse,* apud Livium lib. I. c. LVIII. sic quoque apud Senecam dicitur:

*Mens impudicam facere non casus solet.*

in Hippolyto Act. 2. v. 732. Audiendus hic imprimis est Augustinus, qui prolixè in hoc argumento occupatur, ex quo præcipua saltem adducemus: *Ne aliena polluat libido, inquit, metuitur. Non polluet, si aliena erit, si autem polluet, aliena non erit.* Et paulò post: *Quis tandem sanâ mente putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa & oppressâ carne sâ exerceatur & expleatur libido non sua.* Si enim hòc modò pudicitia perit, virtus animi non erit, -- sed in bonis corporis numerabitur. -- Si autem animi bonum est, etiam oppressò corpore non amittitur. Post pauca tandem concludit: *Hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis sanctitatem manente animi sanctitate etiam corpore oppresso, sicut amittitur corporis sanctitas violata animi sanctitate etiam corpore intacto.* H. I. lib. I. de C. D. c. XVIII. Quibus jungimus verba ejusdem, quæ inveniuntur Epist. CLXXX. ad Honoratum: *Violentia non violatur pudicitia, si mente servatur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis suâ turpiter carne non utitur, sed sine confessione tolerat, quod alius operatur.* Conf. plura in hanc rem apud Leonh. Coqueum in Comment. ad Augustini lib. I. de C. D. c. XVI. His fundamenti locò præmissis statim patet, evitationem stupri non esse sufficientem causam, ob quam se occidere possint fœ-

35

foeminæ, quia stuprum respectu foeminarum, quæ illud patiuntur invitæ, est malum molestum, quippe non pro corrupcionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputandum, loquente sic Augustino Epist. CXXII. ad Victorianum; Ob declinationem verò mali molesti malum turpe perpetrare, utique iniqum est, quia ne quidem ob effugiendum malum turpe aliam quandam turpitudinem eligere licitum est, quemadmodum §. 13. indicatum. Quod vero foeminarum illarum propriedium turpitudinem moralem involvat, exinde manifestum evadit, quia dum se occidunt, innocentes occidunt, quippe in stuprum non consentiunt sed vim patiuntur, indeque ab ipsa lege Divina innocentes pronunciantur. Deuter. XXII. 26. Quapropter nō incommodè hic querimus cum Augustino: *Cur homo, qui mali nihil fecit, sibi male faciat, & scipsum interficiendò hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem? atq[ue] in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?* lib. I. de C.D. c.XVIII. Quid quod dubium adhuc sit, utrum foeminæ liceat violentum stupratorem occidere? Quanquam enim istud plurimi affirment, inter quos Grotius lib. 2. de J.B. & P. c. I. §. 7. Puffendorff. lib. 2. de J. N. & G. c. V. §. 11. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. c. IX. Dubit. XII. alii tamen non sine ratione negant, utpote Augustinus lib. 1. de libero arbitr. c.V. Osiander Comm. ad Grotium p. 620. Zieglerus in notis ad eundem p. 195. D. Alberti Comp. J. N. Part. II. c. III. §. 26. Beermann. in Lin. moral. c. IX. §. 11. p. m. 247. Quod si autem ne quidem licitum est violentum pudicitiae insestatorrem interficere, quanto magis illicitum judicandum erit se propriâ cæde polluere ad stuprum ab alio intentatum evitandum. Non possumus itaque non approbare consilium Anthimi Nicomediensis Antistitis, quod dedit Euphrasie puellæ, quæ ad stuprum abducebatur, & quid sibi faciendum esset, obvium Anthimu consulebat: *Filia Euphrasia, inquietabat*

pulcherrimum quidem est castæ virginitatis donum, sed magis præstantiusq; fidei præceptum. Quandoquidem enim si casus aliquis aut necessitas ita ferret, multò magis pallam ipsam præstaret, quam corpus diripientibus dare, in præsentibus quoq; malis & tentatiōnibus eodem modō rem dispicere convenit. Et si permissum non est, ut utrumque retineas, ut saltem animam incontaminatam conserves, faciendum tibi esse dico, ut scilicet mente ipsā per fidem confirmatā carnem injuriis & contumeliis improborum permittas. H. I. apud Nicephorum lib. 7 H. E. c. XIII. Quod pro excusandis aliquibus fœminis de instinctu Divino assertur, Theologis discutiendum relinquimus; quod verò de inculpabili ignorantia adducitur, vix locum habere potest, cum ignorantia ejus, quod lege naturæ aut Divinâ prohibitum est, inculpabilis dici non mereatur, quippe quæ pertinet ad ignorantiam universalem, qualis virtio vertitur, docente Aristotele 3. Eth. c. I. §. 40. Gentiles, qui Christianis fœminis exprobabant, quòd stupra propriciō non declinarent, sic redarguit Augustinus: *Quæ se occidere noluerunt, ne suò facinore alienum flagitium devitarent, quisquis eis hoc criminis dederit, ipse crimine insipientiae non carebit.* lib. 1. de C. D. c. XVI.

#### §. XVI.

Progradimur ad illos, qui, ubi ad extrema deuentum est, ne in hostium veniant potestatem, aut eorum vires augeant, ad propriam cædem vertuntur, ita ut vel propriis manibus sibi necem inferant, vel mutuis iūtibus se confodiant, vel in eensis propugnaculis aut navibus se unā perdant. Testantur id non solum exempla Catonis, Hannibalis & Longi Disp. priori §. 2 & 5. adducta, sed etiam longè plura ex historia suppeditari poslunt. Abydeni, cum ab hoste urbem captari viderent, non saltem conjuges & liberos occiderint, sed & seipsoſ jugulārunt, suspenderunt, in pateos conjecterint, & de tediis præcipitārunt, referente Polybio lib. 16. Histor. c. XVI. &

XI. 8.

XIX. p.m. 672. & 674. Sic quoque Butes sive Boges Persa in  
urbe Ejone à Cimone obseffus rebus desperatis urbem incen-  
dit, seque unà cum amicis & opibus perdidit. Vid. Plutarchus  
in Cimone Tom. II. Vit. Parall. p.m. 168. Herodotus lib. VII. p.m. 406.  
Cappadoces à Perdicca præliò vieti in urbem confugiebant,  
& occisis conjugibus ac liberis domos quisq; suas cum omni-  
bus copiis incendebant, tandem & semetipso in ignem con-  
jiciebant, ut hostis victor nihil suarum rerum præter incen-  
dii spectaculò frueretur, teste Justinò lib. 13. c. VI. Idem fece-  
runt Sobii ab Alexandro obfessi, de quibus Curtius lib. 9. c. IV.  
Arrianus lib. 6. de Exped. Alex. c. I. item Thalenses apud Sal-  
lustium in bello Jugurthino c. LXXXVI. p.m. 189. & Numantini,  
qui à Romanis ad incitas redacti, in ultimam rabiem furo-  
remque conversi, Duces suos, seque patriamque, ferrò &  
venenò ac subiectò undique igne peremerunt, quorum civi-  
tatem propterea fortissimam & beatissimam in ipsis malis judicat  
Florus lib. 2. c. XVIII. Cum Jotapata expugnatā Josephus se cum  
quadraginta Judæis in spelunca abdidisset, hi se mutuis confo-  
dere vulneribus quam Romanis dedere maluerunt, unusq; Jo-  
sephus cum comite ex eo numero non sine magna industria  
vitam servavit. Vid. ipse Josephus lib. 3. de bell. Judæ. c. XIV.  
Pari modò etiam nongenti Judæi in Massada castello muni-  
tissimo manus hostium effugere statuerunt, referente eodem  
Josepho lib. 7. de B. J. c. XXVIII. Ex recentiori historia itidem  
exempla quædam adducenda sunt. Nicosia à Turcis expu-  
gnata maxima captivorum pars flos juventæ cum ingenti  
præda in naves abducebatur, ut Imperatori Turcico dona-  
retur. At quædam ex nobilioribus fœminis, quæ captivæ  
abstrahabantur, ignem in sulphureum pulverem conjecit,  
quò ea navigia cum omnibus, qui in iis devehebantur, com-  
busta sunt, omnisque thesaurus vel flammis absumptus, vel  
mari absorptus est, sicut ex Bizaro lib. 1. de bell. Cypr. narrat

Camerarius Hor. subcif. Cent. III. c. 78. p. m. 293. Idem Camerarius memorat, quod, cum in Livoniā tempore Stephani Poloniæ Regis impetum fecissent Moscovitæ, atque arce & civitate Wendenā expugnatâ, atrocibus modis in viatos sœvient, quidam Livoni, qui in arcis munitum locum confugerant, hanc hostis crudelitatem conspicati, unâ cum uxoribus & liberis pulvere tormentariò incensò se interemerint, ne in manus hostium inciderent. loc. cit. p. m. 294. In primis observationem hic meretur, quod in bello inter Hispanos Batavosque gesto aliquoties factum est, ut Belgarum nautæ aut milites navales, cum desperatam putarent victoriam aut evasionem, naves suas igne pulveri pyrio injectò incenderent, sicque vel soli vel unâ cum hoste in aërem eliderentur, prout ex Heinsio refert Freinsheimius in annot. ad Flori lib. 2. c. XVIII. idemq; testatur Voëtius Vol. IV. Disp. Select. Diff. XXI. §. 7. p. 256. idque phrasî nauticâ dicebatur: *Den roden Haen in het cruyt stecken.* Ita Hugo Grotius memorat, quod pugnâ inter Fiaſciardum Hispanum & Hautenium Batavum mari commissâ recedentibus coeteris navibus una adhuc Zeelandica, cui Reinerus Nicolai prærerat, remanferit, quæ cum certamen duos per dies sola sustinuisse, nullâ spe auxilii reliquâ & fluentibus ingruentibus, qui eâ vehebantur, omnes consenserint in facinus acre & patriæ profuturum. Flexis nempe genibus Deum precati nitrato pulveri flammam injecerunt, quâ sexaginta homines periere. Hist. rer. Belgic. lib. 15. p. 700. Aliud exemplum Joh. Beverovicius Senator Dordrechitanus in literis ad Voëtium A. 1635. datis narrat: *Navis, inquit, ex India ad Occidentem argentô & pretiosis mercibus onusata numerper ab octo hostium navibus acerrimè impugnatur. Dum nostri strenue pugnantes nullum effugium vidant, id unum agebant, ut hostilibus navibus affixi, accensò pyriò pulvere idem secum victores fatum sortirentur, quod liberiorem aërem querere appellant;* quæ

quæ verba Voëtius adducit *I. c. p. 291.* Antiquius exemplum ex Ponto Heutero Mart. Schoockius afferit de Belgis quibusdam, qui A. C. 1555. ex Hispania domum repetentes cum viginti quatuor navibus mercibus onustis à viginti sex Gallorum navibus bellicis medio in mari infestati, conjecto in pulverem tormentarium igne suas, & quas uncis ac harpagonibus suis junxerant, adversariorum naves incendentes, se hostesque communis exitio obtulerunt. Conf. Schoockius de *Imper. marit. c. XIX.* itemq; Tob. Pfannerus *System. Theol. gen. til. c. XVII §. 8. p. m. 401.* Ejusmodi Belgarum facta Hispanos & aliquando Svecos imitatos esse, dicit Schoockius *I. c. c. XXVI.* De Venetis etiam refertur, quod nautis suis injungant, ut navem, quam regunt, accendant potius ipsi simul perituri, quā Turcis permittant, quod habet Molkenius in *Annot. ad librum Thome Brown de Religione Medici Sect. XXXVII.*

§. XVII.

Hac occasione enata est quæstio: *Utrum rectè faciant milites ac navales socii, qui in prælio navalí constituti, cum jam vident navem in potestatem hostium venturam, communi consensu ignem pulvri injiciunt, sive & navem perdunt, & se in auras elidunt?* Ex cuius quæstionis decisione & de coeteris similibus factis §. præced. allegatis judicari poterit. Haud pauci affirmativam amplectuntur, & quidem ex his rationibus, quia tale quid à militibus exigat (1.) amor patriæ, quò impulsi vi ri honesti mortem pro patria subire non detrectent, ad quā subeundam etiam milites ex officio & vocatione sua obligati sint. (2.) Salus Reip. quæ vacillaret & detrimentum patetur, si per deditiōnem navis potentia hostis incrementa caperet, & ipsi occasio daretur propriis armis Remp. debellandi, satius igitur esse putant vitam gloriose pro commodo Reip. effundere, & navi incensâ hosti subsidia Rempubl. vexandi subtrahere. (3.) Damnum hosti hōc ipso inferendum,

quod

40

quod saepe majus esse potest, quam quod nostra Resp. sentit,  
quippe si nostra navis pulvere dissilierit, plures hostilium  
navium simul affligere potest; hosti autem quocunque mo-  
dō nocere licitum censem, etiam si nos unā cum ipso peri-  
mamus. (4.) Mandatum superiorum vel expressum vel prae-  
sumptum, ut adeò illi non privatā autoritate, sed jussū Ma-  
gistratus, qui jus vitæ & necis habet, se interficiant. Hinc  
itaque Pufendorffio multi non absurdè videntur *divitiae* acri-  
mine absolvere navarchos illos, qui jussū superiorum expresso aut  
ex genere belli rectè præsumpto ignem pulveri pyro injiciunt po-  
tius, quam ut unā cum navi in potestate hostiū perveniant. lib. 8.  
de J.N. & G. c. II. §. 4. p. 114r. Conf. Zevecotius *Observ.* ad  
Flori lib. 2. c. XVIII. Dürrius *Part.* 3. *Instit. Eth.* Sect. II. c. I. §. 11.  
p. m. 156. Zimmermann. *Analect. Miscell. Mens.* IV. n. 9. p. 205.  
Contrà alii negativam tueruntur his moti rationibus (1.) quia  
milites se cum navi perdentes *divitiae* committunt, cum  
direcchè & voluntariò sibi mortem inferant, *divitiae* autem  
per se turpis est, adeoque illicita, quocunque demum fiat  
respectu, quacunque intentione (2.) Agunt isti milites contra  
prudentiam, quia certum ac præsens exitium saepe eligunt  
pro incerto. Poterant enim, ut Voëtius loquitur, *quamvis iam*  
*penè vieti superiores evadere, poterant effugere, poterant hostes*  
*vita illorum parcere, poterant, quamvis captivi, terra vel mari ex*  
*captivitate erumpere, saltem poterant aliqui enatando aut alia*  
*ratione vita sua consulere* l.c. p. 258. (3.) Agunt contra fortitudinem,  
quia verè fortis est equidem, quando salus Reip. ex-  
igit, ad extremum usque spiritum pugnare, non autem ex de-  
speratione victoriae vel salutis à pugnando cessare & in se-  
ipsum lassire. Vid. plures rationes apud Voëtium *disp. cit.* §. 7.  
§. XVIII.

Nobis, qui in negantium propendemus partem, initio  
distingendum videtur inter eos milites, qui navem qui-  
dem

quidem incendunt, ne in hostium potestatem perveniat, se verò mari committunt, imprimis si spes enatandi probabilis adsit, & inter illos, qui se unà cum navi incendio involvunt. Istos excusari posse, non refragamur, & hactenus admittimus rationem Lessii, quòd illi non intendant sui interitum, sed ne hostis navi cum publico danno potiatur, & ut se ipsi, si quā ratione posint, morti ab hoste inferenda eripiant. lib. 2. de J. & J. c. IX. Dub. 6. n. 34. Hi verò, qui se cum navi perdunt, iterum sunt in duplii differentia, vel enim id faciunt privatō ausū atque consiliō, vel jussū Superiorum. Qui propriō arbitriō hoc factum perpetrant, à scelere *invenientias* absolvī non possunt, sive id faciant ob mortis aut servitutis ab hoste imminentis fugam, sive ob patriæ amorem & bonum publicum. Etenim privatā autoritate se occidere est turpe, quia vita hominis privata potestati non subjecet, ut de ea pro lubitu statuerē possit, quemadmodū disp. prior. ostensum; hinc neque ob malum molestum effugendum, neque ob commodum aliquod procurandum vitam sibi adimere licebit. Nec viri fortis est, vel ob servitutis vel ob mortis ab hoste inferenda metum sibi mortem inferre. Optimum in bello mori, sed lege belli, hoc est, à victoribus trucidari. -- Pulcrum est pro libertate mori, pugnando tamen, & eorum manibus, qui illam præripue-  
re, ait Josephus lib. 3. de B. J. c. XIV. p. m. 697. Evidem patriæ & Reipubl. multum debetur, adeò ut etiā mortem oppetere pro patria nemo bonus dubitet, loquente sic Cicerone lib. 1. Offic. n. 57. sed qualem mortem? num propriis manibus illatam? Minime! Neque enim amor patriæ amorem nostri plane extinguit, sed ad id saltem nos obligat, ut pro salute patriæ, cum qua salus nostra connexa est, vitam periculo exponere & vel mortem ab alio nempe ab hoste illatam intrepidè sustinere, si necessitas postulet, non detrectemus. Patriæ itaq; fidem præstare æquum est, sed absque scelere in seipsum. Sa-

nè Gustavus Adolphus Rex Sveciæ de ejusmodi Navarcho,  
qui se cum nave perdisserat, ita judicâsse fertur, quod erga pa-  
triā quidem masculè & fideliter, erga seipsum vero sceleratè fe-  
cerit. Sic etiam commodum publicum promovere est lauda-  
bile, sed illicitis mediis illud promovere velle, vituperabile  
existit, quippe honestus finis honestis etiam mediis obtine-  
ri debet. *¶ Eth. c. IX. Conf. Fustratius in Comment. ad h. l. p. m.*  
*414. seq.* Pariter hosti nocere licitum est, dummodo id legitimi-  
mis modis fiat. Ast si scortandò aut adulterandò hosti noce-  
ri posset, utique hōc ipsō scortatio aut adulterium non eva-  
derent licita. Ita etiam hostem occidere licet, seipsum verò  
sponte perimere, ut hostis unā perimatur, non licet: *Quid*  
verò de illis sentendum, qui publicâ autoritate seu jussu Ma-  
gistratus ad tale factum obligati esse dicuntur? Non disquire-  
mus jam, utrum ullā instructione nautarum & in specie Bel-  
giorūm tale mandatum fuerit contentum, quod dubium ad-  
huc esse putat Beermannus in *Lin. moral. c. XV. §. 2. p. m. 365.*  
quippe Schoockius neque jussu Ordinum, neque lege, sed sal-  
tem consuetudine quadam & privatâ licentia id factum esse  
affirmat; Voëtius equidem absolutè negare non audet, tale  
statutum aliquando obtinuisse, illud tamen jam pridem emen-  
datum esse dicit sive expressâ sive tacitâ ejusdem sanctionis  
abrogatione & non - observatione. *loc. s̄epius cit. p. 267.* Quic-  
quid sit, nec jussu Magistratus milites ad seiplos occidendos  
obligari posse persvasi sumus. Neque enim Magistratus  
quicquam injungere potest subditis, quod jure naturæ aut le-  
gibus Divinis prohibitum est, quippe quibus tanquam à su-  
periori latis ipse Magistratus obligatur. Ast innocentem oc-  
cidere juri naturæ & Divino adversatur, adeoque sicut mil-  
les excusatus non esset, si ad jussum Magistratus alterum oc-  
cideret, quem innocentem esse exploratum haberet, ita nec  
ad mandatum Superioris seipsum, utpote hoc in casu pro-

in-

innocente habendum interficere licet valet, sed hic locum  
invenit, quod Antigone ad Creontem dicit:

*Non imperata jure, nec jus exequi,*  
apud Euripidem in *Phoeniss.* v. 1043. item quod Musonius apud  
Stobaeum afferit: *Si quis seu Pateris, seu Magistratus, seu Domini*  
*praeceptis mala injusta vel turpia imperantibus obsequens non*  
*fuerit, is nequaquam inobediens est, neque injuste aut perperam*  
*facere est dicendus.* Serm. LXXXIX. Conf. pluribus Grotius lib. 2.  
de J. B. & P. c. XXVI. §. 3. Et quanquam recte dicatur de Su-  
premo Magistratu, quod jus vitae & necis penes ipsum resi-  
deat, non immerito tamen dubitatur, an jus illud eousque se  
extendat, ut possit Magistratus hominem innocentem adigere  
ad seipsum incendiò tollendum, quò secum hostes Reip. inter-  
immat. Evidem potest Imperans injungere subdito, ut vi-  
tam commodi publici gratia periculo exponat, potest mili-  
ti imperare, ut talem tueatur stationem, in qua probabiliter  
prævidet, vitam se amittere posse, aut ut cuniculos suffodiatis,  
muros subruatis cum præsenti vita discrimine, quæ jussa à  
milite detrectari fas non est, docente D. Alberti *Part. II. Comp.*  
*J. N. c. III. §. 32.* inde tamen nondum sequitur, quod Impe-  
rans militem ad se directe perimendum obligare queat. Imò  
homicidii reus fit Magistratus, si hâc intentione militi peri-  
culosam stationem assignet, ut vita ejus ab hoste perdatur,  
quomodo peccavit David Uriam hâc intentione hostibus  
trucidandum exponens 2. Sam. XI. 15. & XII. 9. Conf. hac de  
re Puffendorff. lib. 8. de J. N. & G. c. II. §. 4. p. 1141.

### §. XIX.

Denique sub disquisitionem adhuc vocari meretur:  
*Utrum maleficio ad supplicium extremum damnato jussu Magistra-*  
*tus capitalem sententiam in se exequi liceat, ut e.g. gladio peccus*  
*feriat, laqueo cervicem elidat, venas secret, poculum veneni sibi*  
*ipsi propinet &c. presertim si obedienti mors lenior, detrectanti*

*gravius supplicium decernatur?* Quod si ad mores gentium  
quarundam respiciamus, iis consentaneum fuisse deprehen-  
dimus, ut rei sibi ipsi mortem consicerent. De Æthio-  
pibus sequentia memorat Diodorus Siculus: *Lege sanctum est*  
*illis, neminem è subditis morte plectere, si vel maximè dignus ca-*  
*pitali suppliciò reorum quispiam judicetur, sed unus ex lictoribus*  
*ad reum mittitur, signum mortis preferens, quò ille viso domum*  
*abiens sibi mortem consicit.* lib. 3. Biblioth. Hist. c. V. Athenien-  
sibus usitatum fuisse hoc genus suppliciorum, inter alia ex  
sententia in Socratem lata patet, qui ad venenum in carcere  
bibendum condemnabatur. Vid. Plato in *Phædone* p. m. 354.  
& Tacitus lib. 15. Annal. c. LXIV. Romæ Tiberii, Neronis &  
Domitiani temporibus invaluerat mos, mittere Tribunum  
aut Centurionem & extremam necessitatem denunciare. Si  
quis pareret & mortem occuparet, manebant testamenta, &  
justa funeris, si autem moraretur, imminebant carcer, car-  
nifex, laqueus, Gemoniae, fiscus, loquentes sic Lipsio lib. 3. Ma-  
nuduct. ad Philos. Stoic. Dissert. XXIII. p. m. 162. Vid. Tacitus lib. 6.  
Annal. c. XXIX. De Persis testatur Ambrofius, quod suò adhuc  
tempore in criminis poenam jussæ mortis sententiam ipsi exe-  
cuti sint lib. 5. Hexaëm. c. XXI. Et de Japania notum est, quod  
ibi frequentissimum & honestissimum supplicium capitale  
ventris sectio non nisi propriis reorum manibus administrari  
soleat. Conf. Varenius in descr. Japan. c. XVIII. Exemplum  
quoddam notabile suppeditat Erasmus Francisci Part. III.  
des Trauer. Saals Hist. XXXIV. p. m. 956. Fortè nec incom-  
modè hoc referri potest exemplum Auditorum quorundam  
Cypriani, qui jussu Magistratus Ethnici in foveam igni-  
tam, quæ ad Carthaginem erat, insilierunt, de quibus Prudi-  
entius πεισθ. Hymno XIII. & ex eo Pfannerus Synt. Theol.  
gentil. c. XVII. §. 6. p. m. 399. Ex sapientibus itidem non desunt,  
quibus affirmativa superius allatae questionis probatur. So-  
crates

crates sanè, ubi venenum bibere jubebatur à Magistratu Atheniensium, hanc vitam abrumpendi necessitatem sibi ab ipso Deo judicabat impositam. Vid. *Phædonem Platonis p.m.335.* Plato ejus discipulus poenas statuens propriae occidit, excipit eos, qui judiciò civitatis seipso occiderint, sine dubio ad Socratis factum respiciens. *lib.9. de legibus p.m.584.* Seneca videtur equidem negantium parti se adjungere, ubi dicit: *Aliquando, etiam si certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non comodabit poena sua manum. Stultitia est timore mortis mori. Venit, qui occidat, expecta, quid occupas? quare suscipis aliena crudelitatis procurationem? utrum invides carnifici tuo, an parvis? Attamen tandem cum distinctione affirmativa subscriptit: Si altera mors, inquit cum tormento, altera simplex & facilis est, quidni huic injicienda sit manus?* *Quemadmodum navim eligam navigaturus, & domum habitaturus, ita mortem, quam sum exquirurus est vita.* H.I. *Epiſt.LXX.Tom.II. Oper. p.m.255.256.* dicta quoq; propriò exemplō confirmavit, cum à Nerone mori iussus, venis sibi abruptis vitam simul abruptit. Conf. Tacitus *lib.15. Annal. c.LXIII.* seq. Et inter recentiores non pauci Eruditorum affirmativam amplectuntur. A Lessio ex Moralistis pro hac sententia adducuntur Franc. Victoria relect. *de homicidio n.30.* Aragon, q.69. art.4. Corduba *lib.1. qu.36.* Lipsium ab hac sententia alienum non esse, ex Manuductione ejus ad Phil. Stoic. l.3. *Dissert.XXIII.* perspicitur, præterea affirmativæ adstipulantur Dedeckens Vol. II. *Confil.Theolog. Seet.XVII. n.7. p.788.* D.König *Caf.Confc. Catechet. c.V. caf.VI. p.64.* Henniges in *Observat. ad Grotii lib. 2. de J.B. & P.c.XIX. p.788.* Inveniuntur tamen etiam multi, qui negativā quæstionis memoratae defendant, inter quos Dannhawerus Collég. *Decalog. Disp.XII. §.12. p.690.* Voëtius *Volum. 4 Disp. Select. Dissert.XXI. §.10. p.261.* Celeb.Dn. Stryck. *disp. de Jure hominis in seipsum c.III. n.34.* B.Dn. Caspari Collég. *Eth Disp.V. §.12. seq.* Beermann. *Medit. Polit. c.XV. §.3.* quibus addi potest Leissius *lib.2. de Justit. & Jur. c.IX. Dub. 6. n.25.*

Qui affirmativam tueruntur, his se se muniunt rationibus  
 (1.) Dicunt hoc casu cessare rationes interfectionem sui alias prohibentes, quia (α.) ejusmodi maleficus tunc non agit contra amorem sui, & contra naturalem inclinationem, cum minus natura horreat consciencie sibi lethum facile, quam ab alio perpeti dirissimum, ipse vero mitius mortis genus eligit, ne subire cogatur acerbissimum (β.) non peccat contra praeceptum Divinum de non faciendo homicidio, quia non occidit innocentem sed nocentem, neque privatâ autoritate occidit, sed jubente Magistratu, adeoque non absque juris ordine, (γ.) nec injuriam infert civitati, quia moritur ex civitatis decreto, & eandem membro inutili, noxiô, putridô liberat. (2.) Ut minister iustitiae & carnifex licite interficiat hominem sontem, sola autoritas publica sufficit, qua facit, ne sit homicida; pari ratione etiam autoritate publica praesente quis seipsum justè liceaque occidere potest, quia nihil iustitia interest, per quem executio fiat, ut loquitur Henniges l.c. Et si vere dicimus, legem & Magistratum posse occidere, cur non etiam tali & tali modò vel manu? ait Lipsius loc. allegatō. (3.) Hoc factum cum nulla malitia morali coniunctum est, sed potius adeo hic amor iustitiae & vindictæ autoritate publicâ imperatae, cum grata agnitione clementiae in minoris supplicii irrogatione, quando quis in seipsum sumit ministerium exequendæ sententiæ latæ. Neque enim ex desperatione sibi vitam abrumpit, sed quia Magistratui in perferrendo mortis suppicio parere cogitur, dicente Dedekeno l.c. Contra qui negatiyam defendunt, admittunt quidem auctus ad mortem præparatorios e.g. exire ad locum supplicii, bajulare crucem, capillos sub mitra abscondere, scandere scalam patibuli &c. non tamen istos auctus admittunt, qui ex se mortem inferunt, e.g. non expectata manu carnificis de scala desilire, adeoque se-

seipsum suspendere, venas incidere, ferrō pectus transfigere &c. Rationes adducunt sequentes: (1.) In seipsum senvire naturaliter non licet. Hoc enim directe pugnat cum inclinatione communis naturae omnium rerum, quippe nulla res seipsum perimere intendit, ad quam inclinationem in homine accedit rationis dictamen & lex naturae, quae ipsi amorem & sui conservationem imperat, destructionem v. sui non permittit, utpote à qua natura penitus abhorret. Hinc qui suipius carnifex existit, ipsam quasi naturam confodit, & immanitatis reatum sibi contrahit, dum in propriæ naturæ eversionem tendit, & amori sui naturali vim infert. Equidem qui ad supplicium condemnatus est, vi istius amoris naturalis non adeò conservandæ vitæ studiosus esse tenetur, ut poenam sibi à Magistratu constitutam refugiat, & e.g. carnificem repellat, catenas rumpat, fugam ex carcere tentet &c. quod utique injustum foret, ostendente Domino Stryckio loc. cit. ad id tamen vi amoris à natura insiti recte obligari dicitur, ut ad sui destructionem operam suam non commodet. (2.) In poenarum inflictione is cui poena irrogatur, merè passivè se habere debet, qui verò seipsum occidit, instrumentum nimis activum se præbet ad naturæ suæ eversionem. Poena quoque solet esse inviti, qui autem sibi ipsi poenam infligit, is invitè agere dici non potest, sed ejus actio est mixta, adeoque spontanei quicquam includit. 3. Eth. c. I. Conf. Becmann. Medit. Polit. c. XV. §. 3. p. m. 207. & Disp. de pie-  
tate subditorum erga Principem c. III. §. 7. (3.) Magistratus equidem punire potest delinquentem, sed non omni, quô lubet, modô, quia non saltem in poenis infligendis ad delicti proportionem respiciendum est, sed etiam cavendum, ne in ipso puniendo modo quidquam committatur, quod à legis naturæ ac Divinae norma recedit, itemque abstinen dum est à ni-  
mis crudelibus suppliciis, cum Magistratum imprimis Supre-  
num

mum ab omni acerbitatis ac truculentiae suspicione abesse debeat,  
 juxta monitum Forstneri in not. Polit. ad Taciti lib. 2. Annal. p.  
 m. 211. quod fiet, si poenas infligat πατέρως juxta monitum  
 Aristotelis lib. 5. Polit. c. XI, i.e. paternō animō sicut Heinlius in Para-  
 phrasi ad h. l. p. m. 674 explicat, itemque si nocentes receptis tralati-  
 tiisq; supplicia afficiat, monente Chokier lib. 2. Thesaur. Aphorism. Polit.  
 c. VI, n. 6. p. m. 68. & 73. Crudele autem judicatur supplicium, quod in-  
 usitate vel praecipitur, vel infertur, juxta Dannhawerum l. c. p. 690. Conf.  
 Piccartus Comment. in 5. Polit. c. XI p. m. 842. seq. Nisi forte cauſe gra-  
 ves existant, que Magistratum à consveto in suppliciis irrogandis pro-  
 cessu recedere & poenas exasperare cogant. Jam autem ejusmodi modus, quā  
 ipsi reo à Magistratu demandatur executio, non videtur licet à Magi-  
 stratu imperari posse, quia sic imperatur talis actus, qui rationi naturali  
 repugnat; præter necessitatem quoque ejusmodi insvetus in suppliciis pro-  
 cessu à Magistratu introduceatur, qui modus pena crudelissimus à Tholo-  
 sano vocatur Part III. Syntagm. Juris univers. lib. 36. c. 22. n. 8. p. 404.  
 Habet enim alios modos Magistratus poenas vel mitigandi vel exasperandi,  
 etiam alteri nempe carnifici executio demandetur, neque consultum est,  
 istiusmodi immanni supplicio conscientie condemnati scrupulam injicere  
 vix eximendum. (4) Sicut nemo est idoneus executor sententiae mortis  
 in Parentes, ob reverentiam illis debitam & naturalem conjunctionem, ita  
 multò minus in seipso illam exequi potest, cum majori amore & propin-  
 quitate sibi à natura commendatus sit. Conf. Lessius loc. supr̄ cit. n. 26.  
 Ita adductis in utramque partem rationibus nos quidem dubii hæremus,  
 utri sententiae calculum nostrum adjicere debeamus, adeoque mallemus  
 circa præsentem quæſionem judicium nostrum suspendere. Quia tamen id  
 mos disputantium non admittit, hac vice certis de causis negativam  
 defendendam suscipiemus, utpote tuorem etiam illorum judiciorum, qui alio,  
 quin ab affirmativa non sunt alieni. Hinc D. Dorscheus in Collegio  
 Aphoristica caluali, postquam pro affirmativa hujus quæſionis rationes  
 attulisset, tandem ita concludit: *Quia homo hoc prætextu se precipitare  
 posset in bujus executionis optione, & processu ipso sibi contrahere imma-  
 nitatis reatum, & res per se mali exempli esset, neque Magistratus le-  
 gis aut justitia obſervantia, qualis in Magistratibus laudatissimis obser-  
 vata est, mititur, abstinentum videtur. apud Zimmermannum in An-  
 left. Miscell. Mens. IV. n. 9. p. 207.* Similia ferè tunt verba Dedekenni, quæ  
 jam adduxit Cl. Caspari in Collegio Ethico l. c. p. 137.

¶ (o) ¶

7+10  
TA-20C f

ULB Halle  
004 598 555

3



KD7






### Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19



ERTATIO MORALIS  
POSTERIOR

Dc

# E PROPRIA,

*Quam*

DIVINI NUMINIS GRATIA  
MAGNIFICENTISSIMO  
*ne EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,*  
NO FRIDERICO  
ILHELMO,

E ET ELECTOR ATUS BRANDENB.  
HÆREDF. &c. &c. &c.

MPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE  
GIA PRUSSÆ UNIVERSITATE

*Eruditorum ventilationi exponunt*

P R A E S E S

NHOLDUS *Stürmer*

Regiom. Pruss.

&

R E S P O N D E N S

NIEL NICOLAI,

Regiom. Pruss.

*22. Julii Annō MDCCII.*

EDITORIO PHILOSOPHICO  
HORIS CONSVENTIS.

REGIOMONTI,  
ICI REUSNERI, SAC.R.MAJ. & ACADEM.

Typograph. Hæredum.